



Comoediae elegiacae edidit commentario critico ...


SIGILL : COLL : HARVARD : CANTAB : NOV : ANGL : 1650.
CHRISTO
ET
ECCLESIAE




COMOEDIAE ELEGIACAE

EDIDIT COMMENTARIO CRITICO INSTRVXIT
PROLEGOMENA SCRIPSIT

ERNESTVS MVELLENBACH
PHIL. DR.

FASCICVLVS PRIMVS
de Blois
VITALIS AVLVLARIA

BONNAE
APVD EDVARDVM WEBER (IVLIVM FLITTNER)
CIϽIϽCCCLXXXV


DEC 24 1889
LIBRARY.

FRANCISCO BVECHELER
EDVARDO LVEBBERT
HERMANNO VSENER

S

PROLEGOMENA DE COMOEDIIS ELEGIACIS.

Comoediarum elegiacarum nomine liceat comprehendere nonnulla poemata, quae uariis locis a uariis poetis composita in eo omnia concinunt, quod elegiacis uersibus aut comicarum fabularum argumenta enarrant aut narratione hic et illic interposita ipsa per diuerbium decurrentia scaenicarum similitudinem quandam prae se ferunt[1]. quarum magna pars fortasse latet adhuc in bybliothecis Germaniae, Angliae, Galliae, Italiae[2], nonnullae nouissimis potissimum decenniis editae sunt: Vitalis poetae qui plerumque audit Blesensis Amphitryon et Aulularia (siue Geta et Querolus), Guilielmi Blesensis Alda, Matthaei Vindocinensis Miles gloriosus, Milo, Lydia, Ricardi Venusini liber de Paulino et Polla, Mauriliani cuiusdam Pamphilus, denique incertorum auctorum Baucis

---

[1] sero scripsit se de iis egisse RPeiper in *Archiv f. Litteraturgesch.* V 493 sqq. qui quae dixit, eorum gaudeo pleraque cum meis conuenire, alia suo loco tangam.

[2] exempli gratia quae legitur in codice reginae Christinae no. 344 narratio de Pamphilo amatore Glyceria virgine Birria seruo fabula eius generis uidetur esse, neque multum ab iis abhorrent breuiores quaedam historiolae per diuerbium compositae uelut illa de duobus clericis et rustico (ap. Hauréau, Notices et extraits XXIX 2 pg. 322 sq.).

et Babio[1]. uidemus non omnium siue originem siue aetatem notam esse: nam Vitalis etsi nomen ipse nobis tradidit, de aetate aut origine sua nihil addidit. quarum ex historia aetatem accuratius definire possumus, hae sunt: Guilielmi Blesensis Alda, Matthaei Vindocinensis comoediae, Ricardi Venusini de Paulino et Polla libellus. nam Guilielmus Blesensis ab anno 1167—1169 abbas monasterii Maniacensis fuit, qua dignitate defunctum quasi consolatus eum uidetur esse frater Petrus Blesensis laudatione operum ipsius[2]: 'nomen uestrum diuturniore memoria quam quattuor abbatiae commendabile reddent tragoedia uestra de Flaura et Marco, uersus de Pulice et Musca, comoedia uestra de Alda, sermones uestri.' itaque uidetur Guilielmus opera illa, inter quae uersus de Pulice et Musca Alda priores fuisse ipse narrat[3], aut ante iter Siciliense aut in Sicilia composuisse: atque

---

[1] de editionibus Vitalis postea agam. Aldam ediderunt Wright Percy Society VIII anni 1842 mens. decembr., cuius editionis non multa impressa sunt exemplaria, pleraque postea oppressa, et Du Méril, Poésies inédites du moyen âge pg. 421 sqq. qua cum editione librum uetustissimum Lambacensem ipse contuli. Militem edidit Du Méril, Origines latines du théâtre moderne, appendices pg. 285 sqq. de editione Milonis uide praefationem. Lydiam publicauit Du Méril, Poésies inédites pg. 350 sqq. librum secutus permalum, ut multa uix intellegi possint, Ricardi libellum de Paulino et Polla id. ibid. pg. 374 sqq. comoediam de Baucide edidit Hagen in Fleckeiseni annal. XCVII (1868) pg. 711 sqq., comoediam de Babione Wright, Early mysteries and other latin poems pg. 65 sqq., non bene, Pamphilum Goldast Ovid. Erot. pg. 75 sqq.

[2] Petri Blesens. epistol. 93.

[3] in prooemio Aldae.

certe in Sicilia facilius quam in Gallia fieri potuit ut inueniret et imitaretur Aldae exemplar 'de Menandri raptum sinu'. Matthaeum autem Vindocinensem constat poema de Tobia dedicauisse Bartholomaeo archiepiscopo Turonensi, qui hoc munere functus est inde ab anno 1174 usque ad a. 1206, tum uero cum ad eum mitteretur opusculum non diu regnabat, lucebat quasi 'lux noua' teste Matthaeo[1]. atqui Tobiae historia poetae huius artes siue potius inepta artificia iam maturissima ut ita dicam praebet et omnium eius operum primarium est, ut haud sine iure ponamus id opus quasi fastigium poeseos et uitae eius ἀκμὴν quam Graeci uocant tenere, comoediarum eius nullam multo post annum 1175 factam, ueri similius omnes eas priores esse carmine de Tobia. Certe Militem et Lydiam prima esse Matthaei poemata ipse confitetur in prooemio Lydiae:

'Postquam prima Equitis ludentis tempora risit,
mox acuit mentem musa secunda meam'.

hac igitur cum Guilielmi comoedia fere aequales uidentur. denique Pollae Paulini Fulconis fata ipsi aequalium qui narrauit Ricardus Venusinus dedicauit Friderico Caesari, laudat uicarium regis ducem Raynaldum[2], id est ducem Spoletanum, Friderici II. legatum. Fridericus autem caesarea corona ornatus est anno 1220, mortuus 1250. hos intra annos scripta sit comoedia necesse est. dein Raynaldus ille legatus Caesaris regnum moderabatur annis 1228 et 1229[3];

---

[1] uide prolog. Tobiae.

[2] in fine:
'Raynaldi mox Fulco ducis regnum moderantis
prouocat examen.'

[3] uide Winkelmann, Geschichte Kaiser Friedrichs II. pg. 290.

postea cum captus et omnibus bonis priuatus sit ab imperatore anno 1231[1], non ueri simile uidetur post annum 1231 poetam Caesaris eum cum maximo honore quasi summum iudicem commemorasse. itaque intra hos annos uidetur composita esse fabula, hoc est quinque uel sex decenniis post Matthaeum et Guilielmum. miror Merilium uirum alioqui satis cautum hoc indicio plane neglecto fabulam adscripsisse poetae Friderici tertii aequali. quod uel ob res ex historia et administratione regni sumptas falsum est. plura de his dicam in praefatione ad fabulam illam.

Quod si his constitutis incertarum et praecipue Vitalianarum statuere conamur fabularum aetatem, Matthaeo uetustiorem fuisse Vitalem ex ipsius locis a Matthaeo laudatis atque expressis elucet. quorum quidem unum iam Osann adnotauit ex Aequiuocis Matthaei, plures ipse addam, insuper adscribam aliorum saeculi XII et XIII scriptorum locos, unde Vitalis poemata ante medium saeculum duodecimum maxime nota fuisse facile intellegas. enumerabo singulos quoad fieri potest secundum aetatem.

Gerhohus Reicherspergensis in uita beatorum abbatum Formbacensium Berengeri et Wirntonis[2] (ap. Pez. thesaur. anecdot. I 3 400 A):

'Qui uelit, legat, qui nolit, respuat, quia sicut poeta dicit *carmina nulla placent*'.

cf. Amphitr. uersum 12.

---

[1] uide Winkelmann l. l. pg. 217 sq. et 366.

[2] de hoc testimonio uide Haupt, Jahrbücher der Litteratur, Vindobonae 1837 pg. 105 sqq.

Idem (pg. 402 D): 'Procedebat autem ipse, sicut crebro solebat; minister eius, onustus copiis nummorum, *ut alterum Getam putares*, anhelus sequitur'.

cf. Amphitr. u. 139 sqq.

Gerhohus mortuus est die 27. mens. iun. anni 1169.

Matthaeus Vindocinensis in libro Aequiuoc. s. u. lentus:

'quandoque piger. unde Ouidius Epistola: Hanc tua Penelope lento tibi mittit Vlixe, et in Geta: Birria quid (*lege* qui) nimis est lentus, asellus erit'.

est Amphitryonis u. 168[1].

Idem in Lydia:

'quis stupet insidias Iouis aut facinus deitatis
si recolit, quae sit Lydia, quidue potest?
quis Ioue miratur lusum semel Amphitryona,
cum lusit Decium Lydia fraude quater?
credere quod nihil est aliquid fuit Amphitryoni,
quod uidet (*l.* uidit *Du Méril*) Decius, credidit esse nihil.
conueniens parili fraus fraude refellit utrumque,
lusus uterque dolo non putat esse dolum'.

alludit aperte ad Amphitryonem Vitalis, praecipue ad u. 524 sqq.

Idem ibidem:

'sit color in uerbis, blando sit risus in ore:
sic sta, sic loquere, sic tua uerba loca'.

cfr. Aulul. 361, 362:

'castigat formatque hominem: sic ergo loquaris,
sic tibi, sic Querulo, sic mihi, sic aliis.'

Idem eodem loco:

[1] hunc locum enotauit iam Osann, pg. VIII.

'dixit et emulcens animum sua brachia collo
iactat et illa premit, quae cupit ille premi'.

cfr. Amphitryon. 95, 96.

'Dependet collo Iouis illa premitque beato
pondere colla Iouis. sic amat ille premi'.

Idem ibidem:

'haec rogat, ille negat'.

cfr. Aulular. 456: 'hic rogat, ille negat'.

De aetate Matthaei Vindocinensis uide quae supra dixi.

Guilielmus Blesensis in Alda u. 8 et in uersu paenultimo: 'acta placent'; idem legimus Aulular. u. 10 et u. 792. cf. 'cuncta placent' Amphitr. 532.

De aetate Guilielmi uide supra.

Alexander Neckam in nouo Aesopo fab. XXVI 'dicta placent'. idem habes Aulular. 383.

Alexander Neckam natus est anno 1157, mortuus est intra annos 1215 et 1227.

Gualfredus de Vino Saluo in Poetria inde a u. 1367 describit morem pigri serui a domina mane uocati. huius serui nomen *Birria*, ac tota descriptio translata est ex Amphitr. 61 sqq. Gualfredus dedicauit Poetriam Innocentio papae tertio (1198—1216), deplorauit in ea mortem Ricardi regis Angliae (factam anno 1200). nomen Birriae seruo pigro et nequam datur etiam in fabula de Pamphilo et Glyceria[1], quae legitur in codice exeunte saec. XII scripto, et in Baucide, et in Alda teste codice Lambacensi pro appellatiuo ponitur:

'Byrria seruus erat, et nomen Spurius illi'.

---

[1] uide supra pg. 5 adn. 2.

denique in cantilena de certamine uini et aquae[1] quam composuisse fertur Primas ineunte saec. XIII confertur cum Geta (sicut in Amphitryone Vitalis) et cum Dauo (ut in comoedia de Baucide):

'Et qui tuus est amator,
homicida, fornicator,
Dauus, Geta, Birria'.

Astensis poeta in Nouo Auiano III 2 u. 5 sq. edit. Gros:

'dantur dona Getae, nil est nisi fama poetae,
pro fama solum da, mea Clio, sonum'.

'*Gete i. e. ioculatori*' codex M. hae fabulae leguntur in codicibus exeunte saec. XII scriptis.

Euerardus Bethuniensis, Laborinti tractat. III u. 17, 18 (apud Polyc. Leyser pg. 795 sqq.)

'laudit (*lege* plaudit) Geta gemens, quia captus Mercuriali
arte Iouem lectus Amphitryonis habet.'[2]

Euerardus anno 1212 scripsit Graecismum, paullo post eum Laborintum.

Comoediae de Babione u. 177 sq.:

'hostes si tales sensisses Troia, maneres,
nec raperent Danai Tyndaridem Paridi.'

cf. Amphitr. 491 sq.:

'o faciles dare terga uiri! si Graecia tales
misisset quondam, nunc quoque Troia foret.'

---

[1] edidit eam nouissime, qui collegit carmina uagorum (Peiper) Lipsiae 1879 pg. 57 sqq.

[2] uideo hunc locum etiam commemorasse Le Clerc, Histoire littér. XXII 41, qui scripsit ludit.

ibidem u. 424:

'hypocrisim dolus hic relligionis habet.'

cfr. Aulular. 630:

'talis in hypocritae est relligione color.'

Hugo Trimbergensis in registro multorum auctorum, quod teste auctore compositum est a. 1280 p. Chr. n.[1]:

'sequitur Ouidium Getha mouens risum
quem licet falsidicum non reor inuisum:
Grecorum studia nimiumque diuque sequutus
Anphitrion aberat et sibi Geta comes'.

dein:

'Querulus et Merulus his adiciantur
qui non ut in nomine re confederantur.
Nam Querulus falsidicus totus et iocosus,[2]
Merulus ueridicus et totus seriosus.
Committens olle frageli Queruli pater aurum
effecerat in tytulo funerum esse fidem'.

Merulum non noui (incipit:

'Cum multos homines in fraude perire uiderem,
pertimui culpam, si uera tacendo tenerem'),

Geta est Amphitryon, Querulus Aulularia Vitalis.

Ieremias de Montagnone in Compendio[3] haec enumerat 'nomina auctorum uel librorum ex quibus compilatum est hoc compendium secundum ordinem etatum: Versificator fabularum Esopi | Iohannis Solobriensis

---

[1] uide M Haupt, Bericht der Berlin. Acad. 1854 pg. 142 sqq. uersus ipsos ex codice exscriptos benigne mihi misit praefectus bybliothecae caesareae Graecensis Dr. Mueller litteris a me rogatus.

[2] est iocosus M Haupt; ījocosus cod.

[3] cf. Osann pg. VII.

anglicus | Auctor libelli qui dicitur facetus | Auctor libelli qui incipit Graecorum studia | Auctor rudium doctrine | Baldo uersilogus | Hugo de sancto Victore religiologus | Balterius de Castellione uersilogus | Matheus Vindocinensis doctor grammat. | Gaufredus anglicus uersilogus.'

Ieremias uita decessit anno 1300. ceterum ex hoc ordine Osann nimis temere definiuit aetatem Vitalis; medio enim loco composuit Ieremias libros quorum auctores non nouerat, aetatem nouisse eum etiam minus crediderim.

Ex istis testimoniis non nihil discimus. primum quidem uidemus Vitalis poemata inde a medio fere saeculo lecta laudata adhibita in scholis esse[1], ita tamen ut iam tum poetae nomen obscuratum fuerit; qua de re post plura dicenda erunt, interim hoc concludere licet illis auctoribus aliquanto uetustiora ea carmina esse quorum originem ipsi ignorauerint[2]. deinde illud notatu dignum est quod paene omnibus nota, in scholis trita fuisse uidetur Amphitryon siue Geta, Aulularia multo rarius laudatur, idque mire confirmatur librorum manu scriptorum ratione. nam Amphitryonis codices equidem facile uiginti noui, Aulularia seruatur uno libro saec. XII, altero saec. XIII, tertius, unde hausisse uidetur editor primus, cum reliquis deperiit. uidentur autem Amphitryonem quasi exemplar imitandum proposuisse sibi poste-

---

[1] saeculo XII scripti sunt etiam uetustissimi optimique libri, in quibus leguntur, Aulular. Lambac. 100 et Amphitr. Bernens. 702, cuius lectiones benigne mihi misit Hermannus Hagen.

[2] etiam Lydia Matthaei ab Hugone Trimbergensi quasi ἀδέσποτος commemoratur, sed Hugo plus saeculo post Matthaeum scripsit.

riores poetae ac sumpsisse inde nomen et personam maxime comicam serui pigri nequam foedi Byrrhiae, quam personam Vitalis receperat ex Querolo et Geta comoediis.

Iam omissis externis his documentis si ipsarum artem et argumenta fabularum inspicimus, magnum statim occurrit discrimen. nimirum Vitalis in elegias suas conuertit ueras comoedias priore aetate confectas; quae cum ob rem scaenicam aut plane obrutam aut ualde mutatam genuina forma diem uix iam ferrent, suo iure dixit eas fabulas senio pressas sensisse Vitalis opem[1]. atque ipse quidem Plautum ita se beasse putabat: nos suae aetati accommodasse Vitalem scimus non Plautum sed imitatoris Plauti qui saeculo IV uixit exeunte opuscula, quorum alterum adhuc exstat Querolus. mutauit autem Vitalis admodum pauca eaque ob nullam aliam causam, quam quod scaenae conuenirent, non elegiae. ceterum recepit in sua carmina cum loca uetera et Graeca tum omnem ut ita dicam pagani auctoris apparatum, deos philosophos magistratus mores supellectilem exeuntis imperii Romani, ut clare intellegamus ab illo aeuo illisque moribus nec ipsum nec qui ipsum legebant nimis alienos fuisse.

Qua in re longo, sed proximus interuallo eum sequitur qui fabulam composuit de Baucide meretrice et Thrasone milite glorioso ab ea deriso. materiam ex antiquitate resumpsit, cum intercessisset fortasse scaenica Queroli non absimilis, nomina sicut Vitalis ex uetere comoedia, indidem multa in descriptionibus sumpsit,

---

[1] Aulular. prol. 28.

de quibus bene disseruit qui fabulam edidit Hagen, nonnulla tamen iam magis sapiunt medium aeuum, unius personae mores fortasse in uetustiore exemplo inuenit (uidetur enim quasi stataria fuisse in comoediis eiusdem generis ac Querolus), nomen a Vitali mutuatus est serui Birriae [1].

At Matthaei Vindocinensis et Guilielmi Blesensis comoediae longe aliam originem sapiunt. Aldam quidem Guilielmus testatur se confinxisse secundum fabulam Menandri [2] h. e. opinor scriptoris alicuius Graeci comici — solebant enim eo nomine quasi primario omnem artem comicam Graecorum indicare homines medii aeui, ut Iohannes Sarisber. Policratic. I, 8: 'histriones . . . quos apud Plautum inuenis *et Menandrum* et quibus ars nostri Terentii innotescit' al. — Latino sermone diuolgatam; sed ex ipsius uerbis iam Du Méril [3] bene conclusit ipsam si quae erat comoediam non nouisse Guilielmum, immo in elegiam conuertit fabulam quandam rustico ore narratam, fortasse ex Graeco sermone translatam, — ponas licet narratiunculam illam in Sicilia auditam esse et translatam a Guilielmo — sed originem eius etiam longius deducere uelim, pleraque enim in ea sapiunt orientalium fabulam. quo autem modo eam tractauit Guilielmus? scaenica neglexit, nihil praeter diuerbia pauca eaque parum grauia in ipsa actione

---

[1] uide quae supra collegi pg. 10.

[2] 'uenerat in linguam nuper peregrina Latinam
haec de Menandri fabula rapta sinu;
uilis et exul erat et rustica plebis in ore,
quae fuerat comis uatis in ore sui.'

[3] edition. pg. 426 adnot. 2.

scaenam olent, grauissima omnino ne cogitari quidem in scaena possunt; contra descriptiones tam uiuidae tamque amplae sunt, ut quasi compensaturae scaenicam actionem uideantur apud eos qui audiunt. in ipsa autem narratione iam nihil ex antiquitate sumptum est praeter flores Ouidianos: homines describuntur medii aeui: Vlfus princeps ut uidetur, certe eques locuples, Pyrrhus eques adulescens pauper, sed felix amator, quae persona cum nomine inde transiit cum in alias eius modi fabulas, tum in Lydiam Matthaei. et de hac et de reliquis Matthaei comoediis etiam magis ualent omnia quae dixi de Alda. Matthaeus orationes quidem paullo longiores et crebriores inseruit, descriptiones tamen minime restrinxit; omnino tota huius poetae rhetoricorum artificiorum studiosissimi indoles repugnat actioni scaenicae. personas autem hic plane ab aequalibus sumpsit, argumenta subinde etiam longius repetiuit, nam de Milone fabulam ipse ad Graecos reducit, orta autem erat ex Indica historia cui nomen est Sendabad sive Syntipas, fortasse ex uersione Graeca qualem confecit Andreopulus, Lydiae argumenta in Arabicis fabellis recognoscuntur[1]. quae argumenta postea in narrationibus poetarum durauerunt. uelut Lydia tota recepta est a Boccacio in 'Decamerone', magnam partem a Chaucer in Canterbury tales et in 'Oberone' a Wielandio, Aldae ar-

---

[1] quod Matthaeus in Lydia dicit:

'ut noua Lydiades ueteres imitata placeret,
finxi femineis quaeque notanda dolis'

inde caue concludas ueteres exstitisse huius argumenti fabellas complures: Lydiades Matthaeo h. l. omnes sunt narrationes in quibus de mulierum astutia perfidia cupiditate agitur.

gumentum iterauit Byron in 'Don Juan'. uides haec medii aeui poemata Latina quasi pontis instar uiam praebere ab antiquitate cum orientis tum occidentis ad hanc humanistarum quos uocamus et nostrae aetatis poesim; sicut Dantei exemplar uisionum habemus Walafridum Strabonem al. eius modi. sed ut haec omittam, et Guilielmus Blesensis et Matthaeus Vindocinensis atque ceteri opinor eius aeui poetae non scaenicas comoedias conuerterunt in elegias, sed ex narrationibus confecerunt comoedias ut medii aeui dictione utar elegiacas, eaque re a Vitali longe differunt.

Simile quidem fecit, qui libellum de Paulino et Polla Venusinis[1] composuit Ricardus Venusinus, sed non fecit idem. nimirum etiam Ricardus sui aeui describit homines moresque, idem argumentum iam non petit ex narrationibus antiquitus traditis, sed ex iis quae ipsius aetate, ipsius in patria modo facta sunt. sermones autem rursus praeualent ex toto, quin eo usque per prouerbia sententiasque producuntur, ut interdum meram ironiam ibi putes latere. hic igitur poeta sicut in eligendo argumento a Vitalis more etiam ultra Guilielmum et Matthaeum recedit, ita in restituendo colore scaenico iis praecellit. Babionis denique auctor[2] hoc utrumque confecit. argumentum ex uita cottidiana et rustica sumitur, irridetur pauper clericus, luditur ab equite patrono ipsius, a uilica, a puella, a seruo; narratio uere rustica est et rudis, sed tota fabula diuerbio constat, personae ne

[1] notatu dignum mihi uidetur, quod Pollae nomen inde ab Horatii Horatiique maiorum aetate Venusiae durauit (cf. Horat. carm. III 4 10).

[2] quem Vitalis comoedias nouisse supra demonstraui.

introducuntur quidem uerbis poetae. atque idem fere ualet de Pamphilo, in quo semel legitur 'tum Venus haec inquit', reliqua diuerbio constant. hic finis est comoediae elegiacae paullatim recedentis ad originem scaenicam.

Quod si has rationes ex ipsorum carminum natura ac discrepantia ductas perpenderimus, incertas comoedias hoc ordine inter ceteras inseremus, ut Baucidem post Vitalem ponamus, ante poetas exeuntis saeculi XII Guilielmum et Matthaeum, Babionem uero et Pamphilum aliquanto post Ricardi comoediam [1].

Hac contenti simus oportet conclusione ex internis rationibus deducta, nam ab argumentis metricis non multum proficimus. nimirum cum in disquirenda arte metrica elegiacorum medii aeui nihil tam graue esse consentiant omnes quam haec duo, leoninorum et concinnantium uersuum [2] usum et elisiones magis minusue uitatas, hoc quidem dicere licet, eius modi artificiis poetas inde a saeculo X in carminibus non rhythmicis indulsisse eo magis, quo uolgarius scribere aut solebant aut uolebant; sed etiam singuli in ea re minime easdem semper leges seruabant, ut facile intellegas solo concinnantium leoninorumue uersuum usu obseruato aut nullos designari fines aut maxime incertos; cuius rei egregium exemplum praebent opera Matthaei Vindocinensis, ex qui-

---

1 nouit Babionis auctor et Vitalis comoedias et Baucidem.

2 eiusmodi uersuum naturam differentiam leges discimus ex *artibus metricis* medio aeuo confectis, de quibus nuper egerunt Zarncke (Berichte der Sächs. Gesellsch. 1871 pg. 34 sqq.), dein summus in his rebus iudex Guilielmus Meyer Spirensis (Sitzungsberichte der Bayer. Akademie 1878 pg. 49 sqq.) et Huemer (Wiener Studien 1882 pg. 299 sqq.).

bus hos composui calculos de consonantia syllabae aut uocis ante caesuram positae cum fine uersus tam in pentametris — quod laudi fuit etiam apud ueteres — quam in hexametris: inuenitur eiusmodi uersus semel inter

	hexam.	pentam.
in Milite	26	$6^1/_2$
in Lydia	$11^1/_2$	$5^5/_6$
in Milone	$25^3/_5$	32
in epitomae de Tobia prol. et cap. I	$10^1/_5$	—
in epistolarum prima parte[1] . . .	$15^6/_7$	$66^3/_5$

in his numeris uides quanta sit discrepantia. itaque ab hac parte nihil certi spero nos effecturos. nisi forte Matthaei proprium hoc putas uitium; nam reliquorum carminum numeri bene congruunt cum eo quem supra constituimus ordine: fit enim eius modi consonantia semel

	in hexam.	pentam.
in Vitalis Amphitryone	$29^1/_2$	10
in Aulularia	$39^1/_2$	15
in Baucide	$23^1/_7$	$12^1/_2$
in Alda	13	$6^1/_2$
in Paulino et Polla	$9^1/_2$	10
in Babione	5	$4^2/_3$
in Pamphilo	$3^1/_2$	$3^1/_5$

uides hexametrorum eius modi numerum inde a Vitali usque ad Babionem miro modo crescere atque adeo inter Baucidem et Vitalem magnum esse interuallum, ex Vitalianis autem fabulis Aululariam maiore arte esse

---

[1] quas edidit Wattenbach, Sitzungsberichte der Bayer. Akademie 1872, 561 sqq.

expolitam. sed caue ne eius modi rationibus nimium credas. — de elisionibus etiam minus speraueris. uitauit sane eas maior pars poetarum elegiacorum medii aeui: sed nec aequales inter se poetae nec singuli in diuersis opusculis sibi consentiunt. en numeros:

semel inuenitur elisio

	leuis[1]	grauis
in Amphitryone in uersibus	$21^1/_4$	133
Aulularia	$14^2/_5$	79
Baucide	—	—
contra:		
in Alda in uersibus	$33^1/_3$	$56^3/_5$
Milite	—	—
Lydia	$111^1/_5$	—
Milone	—	—
Paulino et Polla	—	—
Babione	128	—
Pamphilo	391	391

Itaque interim his omissis teneamus quae aliis rationibus comparauimus: Vitalis comoediae elegiacae, quas reliquis priores esse plerumque ex his ipsis colligere licet, ita ab iis discrepant ut minimum uno saeculo uetustiores uideantur. proxima ab iis uidetur comoedia de Baucide: earum quas composuimus fabularum agmen claudunt de Babione et de Pamphilo comoediae.

[1] constat in hac poesi multas elisiones leuibus esse adnumerandas quae olim graues fuerint: uelut *amando agit.*

VITALIS

AVLVLARIA

I. DE VITALI EIVSQVE COMOEDIARVM EXEMPLARIBVS.

Cum comoediae elegiacae omnes non nihil ualeant et ad notitiam morum illius aetatis et ad historiam poeseos et linguae Latinae, tum maxime dignus est cuius opera excutiantur Vitalis: qui quae adhibuit exemplaria, eorum alterum adhuc habemus Querolum, alterum fortasse ex ipsius poemate adumbrare possumus Getam. hic tamen Vitalis quis fuerit plane ignoramus. nomen quidem ipse nobis tradidit in prologo Aululariae[1]; sed nihil aliud. in editionibus plerumque uocatur Blesensis. sed de hoc cognomine adhuc est cur dubitemus. certe nullo codice seruatur nisi Duacensi no 371, ubi in calce Aululariae miniatis litteris legitur 'Vitalis gallici blesensis allularia explicit'. sane etiam editio Commeliniana, quae est codicis deperditi instar, haec in titulo habet: 'Vitalis Gallicus Blesensis de Querulo' et in subscriptione: 'Vitalis Gallici Blesensis Aulularia explicit feliciter'. sed possunt haec ab editore addita esse, si quidem sub-

---

[1] Aulular 25 sqq.:

'curtaui Plautum; Plautum haec iactura beauit,
ut placeat Plautus, scripta Vitalis emunt.
Amphitryon nuper, nunc Aulularia tandem
senserunt senio pressa Vitalis opem.'

scriptio iisdem litteris minusculis impressa est ac praefatio Commelini, cum ipsum carmen cursivis exaratum sit. denique quae in codice Gissensi LXXVII (saec. XV) legitur inscriptio: 'Vitalis Blesis uel Blesensis GETA' scripta est a manu recentiori, cum nota in libro Neapolitano IV F. 12 ad v. 18 Amphitryonis 'Libri titulus talis est. Incipit comedia Vitalis Blesis' adscripta sit teste Ianellio a manu eiusdem saeculi quo codex exaratus est, i. e. XIV. atque fortasse hae ipsae notae nos ducunt ad communem harum inscriptionum fontem. nimirum legitur in codicibus quibusdam minime uetustis fere Italicae originis (Parisino 8413 quem exarauit Petrus Celanensis exeunte saec. XV, Mediceo plut. 33 cod. 31, 45 saec. XIV, Gissensi LXXVII[1], Mediolanensi Braydensi saec. XV[2]) in calce Amphitryonis:

'Explicit hic Geta deceptus ab Arc(h)ade summo:
Vitalis blesis[3] explicit Amphitryon[4]'

atque istud blesis sive blexus posteriores videntur ita interpretati esse, quasi sit Blesensis. at sensus et ordo horum uersuum longe aliud uidentur flagitare. indicatur duplex argumentum fabulae: Geta ab Arcade deceptus et Amphitruo lusus a Ioue. cfr. quae leguntur in inscriptione libri Parisini: 'Incipit opusculum Gete, Amphitrionis et almene' et in subscriptione libri Matritensis M. 110 fol. 82[a]: 'Luditur Amphitrion et tota sua

[1] de quo uide scripta a uiro suorum codicum nimis amante Otto in commentariis criticis in codic. Gissens. pg. 81 sqq.

[2] teste Ernesto Renan, in Histoire littér. de France XXII pg. 42 sq.

[3] blexus *Paris. 8413.*

[4] Amphitruon *Mediol.*

(*corrige* sua tota) domus'; atque eadem ratione utitur Euerardus Bethuniensis in Aulularia indicanda[1]:

'plaudit Geta gemens, quia captus Mercuriali
arte Iovem lectus Amphitryonis habet.'

quare uide an sub illo b l e s i s uel b l e x u s lateat uocula quae idem fere significet ac lusus, irrisus. — interim non plane negauerim posse ita indicatam esse a scriba sermonis minus perito patriam poetae: sicut Guilielmus Blesensis Aldae auctor in codice Harleiano 3872 sic designatur:

'Musa Vionensis[2] Guillermi siue Blesensis
scriptores iuuenes uolt reprobatque senes.'

si quis igitur cupit, licet credat hunc poetam eiusdem originis fuisse ac Matthaeum et Guilielmum. at praeterea nihil de ipso scimus.

Videtur autem has nubes ipse sibi obduxisse. nam cum priorem ederet comoediam Amphitryonem, ualde sibi suaeque famae diffidebat. unde in prologo multa de mala poetae fortuna conquestus optimum esse atque opportunum pronuntiauit si sibi solus dictitet[3]. sed contra spem euenit. ualde placuit Amphitryon iam uiuo auctore[4]. itaque aliquanto temporis intermisso[5] alteram

---

[1] u. pg. 11.

[2] h. e. Viona ex suburbio Blesensi oriundi.

[3] Amphitr. 21 sq.:

'quem iuuat iste labor, soli sibi dictitet ille
et sibi pulcher eat, et sua solus amet.'

[4] Aulul. 25 sq.:

'curtaui Plautum; Plautum haec iactura beauit;
ut placeat Plautus, scripta Vitalis emunt.'

[5] Aulul. 27:

'Amphitryon nuper, nunc Aulularia tandem'

publicauit comoediam, cuius in prooemio nomen suum magna cum superbia pronuntiauit. haec autem nec tum nec postea sororem maiorem laude aequauit: officiebat enim ei exemplar uetustum Querolus, atque uersa uice Amphitryon Vitaliana tenebris plane obruit ueterem comoediam. unde factum est, ut cum altera elegia ab altera separata quasi ἀδέσποτος legeretur, opus poetae primarium laudaretur, nomen et uita ignoraretur.

Haec de poeta. iam de fontibus poematum quaerendum est. Vitalis sibi uidebatur in elegiam transtulisse Plautina opera. sed minime Plauti illa erant, immo Aulularia facta est secundum eam quam adhuc habemus Querolum, Amphitryon secundum fabulam Queroli simillimam, in quam ex Amphitryone Plautina uix plus transierat quam ex Aulularia in Querolum. sed quaerat quispiam unde hoc sciamus de fabula ignota? sane eam non nouimus nisi ex imitatione Vitalis: sed ex Aulularia eiusdem comparata cum Querolo Vitalem discimus tamquam seruom auctoris sui uestigia ita pressisse, ut ea tantum abiceret quae in comoediam non erant illata nisi propter condicionem poetae aut ob rationes scaenicas. exemplo ut utar, Euclionem peregre morientem Vitalis introducere loci mutatione non prohibetur, Queroli auctor scaenae legibus uinctus ea tantum describere potuit, quae ante domum Queroli agebantur. atque ita Vitalis saepius maiore narrationis libertate usus est. nomina etiam mutauit et nuntium Euclionis ad filium non amicum esse finxit sed libertum: uerum ad ipsum argumentum nihil noui adiecit, uel Arbitri personam minime necessariam fideliter in exitu repraesentauit. uerba quidem auctoris uix semel immutata recepit: nam Vitalis fuit Ouidianus,

Terentianam maxime sectam sequebatur auctor Queroli. ergo in altera quoque fabula censebimus ea quae abhorrent ab exemplari Plautino non a Vitali esse illata, sed ab eo qui Plautum imitatus Vitali fuit exemplo. est autem huius comoediae qualem e Vitalis ecloga adumbramus et Queroli similitudo ut dixi maxima; in utramque a Plauto nihil praeter cardinem fabulae adsumptum est, interpositae sunt explicationes philosophae et ita quidem, ut utraque fabula diuidi possit in partes minorem uere scaenicam et maiorem philosopham atque auditorio quam theatro aptiorem: quae partes apud Vitalem paullo magis altera alteri inmixtae confusaeque sunt, in uetustioribus comoediis alteram alteri praepositam uel interiectam esse uidemus ex Querolo. philosophantur omnes personae: uelut hic Amphitruo non est imperator sed uir doctus Athenas ad audiendos doctores profectus, neque is agit partes primarias, sed Geta quidam seruos academicus Sosiae Plautini uicarius sed minime similis[1]. iam igitur habemus duas fabulas, confectas eas secundum Plautinas sed summa cum libertate: utraque eodem modo ob easdem causas mutata est, eodem colore ut ita dicam philosopho infecta: coniunctim Plauti sub nomine legebantur et coniunctim ab eodem scriptore uersae sunt in eclogarum formam. quae cum ita sint, ueri certe simillimum est utramque ab eodem compositam esse auctore, h. e. auctorem Queroli eundem esse, qui Amphitryonis Plautinae imitationem illam

[1] quarum mutationum causam auctor Queroli exposuit in epistula dedicatoria ad Rutilium patronum suum (pg. 3 10 Peip.) 'atque ut operi nostro aliquid adderetur gratiae, sermone illo philosophico ex tuo sumpsimus materiam'.

exhibuerit. neque uero is fabulam inscripsit Amphitryonis nomine. Vitalis sane in prologo Aululariae hoc titulo eam introducit: idemque Querolum fabulam uocat Aululariam, nusquam altero utitur nomine. quid auctor ipse? 'sed an Querolus' inquit[1] 'an Aulularia haec dicatur fabula, uestrum hinc iudicium, uestra erit sententia'. praeposuit igitur nouom titulum ab ipsius persona primaria ductum, post addidit quasi pietatis causa titulum Plautinum uetustate sacratum. quod si idem in alteram comoediam transferimus, sequitur ut ibi haec fere dicta fuerint: 'an Geta an Amphitryon haec dicatur fabula, uestrum erit iudicium'. Vitalis demum reposuit nomina Plautina fortasse indicem Plautinarum aliquem secutus: sed eius quoque poema primis post eum saeculis Getae nomine uidetur esse appellatum — opinor quamdiu ipsa fabula uetusta uigebat, postea enim haec plane deperiit, nisi forte latet in bybliotheca aliqua Italiae siue Galliae — sicut etiam Aulularia Vitalis ab Hugone Trimbergensi uocatur Querolus.

Geta igitur fabula altera fuit eiusdem auctoris cuius habemus Querolum. talis fabulae mentionem facit Sedulius in carmine paschali[2]:

'Cum sua gentiles studeant figmenta poetae
grandisonis pompare modis, tragicoque boatu
ridiculoue Geta seu qualibet arte canendi
saeua nefandarum renouent contagia rerum
et scelerum monumenta canant rituque magistro
plurima Niliacis tradant mendacia biblis,

---

1 pg. 5 22 Peip.

2 I u. 20 sqq.

cur ego . . . . . .

clara salutiferi taceam miracula Christi'?

idem uersione pedestri: 'cum poetarum studiosa consuetudo gentilium fabulosas carminis nugas nobilium commendet pompa uerborum et siue clamoribus cothurnatae tragoediae seu ridiculi Getae comica foeditate uel quibus libet metricae numeris disciplinae priscorum scelerata temporum gesta, nonnulla etiam probra narrationis arte composita Niliaci papyri gurgitis calamo perarante contradant: cur ego' etc.

aperte hic tangitur comoedia, cui aut ipsi aut certe primariae personae nomen fuit Getae. ergo priusquam Vitalis ecloga nota erat, interpretes necessitudine coacti de Phormione Terentii cogitauerunt, in qua Geta seruos apparet. sed minime quadrat Terentiana fabula ad hunc locum. nam poeta agit de uatibus paganis, qui cum suos deos nefarie celebrent ipsum instigent ad laudem Christi, h. e. qui deorum scelesta facinora canant. ubi talia in Phormione? cur non, si uellet ueterem comoediam, Plauti nominauit Amphitruonem, quae posteris etiam saeculis lectitabatur, immo spectabatur[1] mutata opinor in pantomimum? in hanc sane per similes occasiones inuadunt scriptores christiani, quippe qua narretur summi dei adulterium[2]. dein quod fortasse quispiam credat Getam a Sedulio ex Phormione sumptum esse quasi primarium exemplar serui comici, non Getae hoc erat sed Daui serui ex prima Terentiana noti. cf. locum perquam memorabilem Philostr. imag. I 2: 'κορυφαία δὲ τοῦ χοροῦ ἡ ἀλώπηξ γέγραπται, χρῆται γὰρ αὐτῇ ὁ Αἴσω-

[1] cf. Arnob. adu. nat. IV 35. VII 33.

[2] cf. Arnob. l. l. et Prudent. perist. X 226 sqq.

ποc διακόνῳ τῶν πλείcτων ὑποθέcεων ὥcπερ ἡ κωμῳδία Δάῳ.' adde Horat. A. P. 237:

'ut nihil intersit Dauosne loquatur et audax
Pythias'.

idque durasse per medium aeuom sat multa exstant testimonia, nam in Baucide seruos Thrasonis Dauos audit, Matthaeus Vindocinensis ad describendum parasitum deformem edacem scurrilem utitur nomine Daui[1], in cantilena de uini et aquae certamine enumerantur Dauos, Geta, Birria, al.[2]

Sed omnino flagitamus exemplum non ex rerum Romanarum remotissimis temporibus repetitum sed quam proximum aetati christiani poetae. atqui habemus in imitatione Vitalis fabulam Getae nomine uocatam de persona primaria, in qua ipsum illud Iouis cum Alcmena adulterium narratur: quis dubitet quin haec optime conueniat ad uerba Seduli? neque uero nimium aberat ab aetate Seduli. Querolum enim olim demonstrare cona-

---

[1] in descriptione obscaena quam edidere Wright rell. antt. VI 260 Migne PP. CCV 983. ceterum nonnulla ex ea concinunt cum iis quae Geta de se ipso confitetur in Amphitryone Vitaliana u. 361 sqq.

[2] neque facit contra haec locus Propertianus V 5, 41 sqq.:

'nec te Medeae delectent probra sequacis,
nempe tulit fastus, ausa rogare prior,
sed potius mundi Thais pretiosa Menandri,
cum ferit astutos comica moecha Getas.'

ibi enim agitur aperte de Menandri certa comoedia, in qua Geta seruos a muliercula uerberatus. nihil eiusmodi in Terentium transiit, neque usquam apud eum una introducuntur Thais et Geta. Seduli autem loco desideratur Latina fabula, in qua agatur de sceleribus deorum.

tus sum scriptam esse sub imperatoribus Iouiano siue Valentiniano siue Gratiani primis annis: Sedulius autem scripsit sub Augustis Valentiniano III et Theodosio II; neque ulla re docemur etiam ipsius Seduli temporibus fabulas eius modi scaenicas esse compositas. fuere igitur Querolus et Geta proximae ab eo comoediae. ceterum tunc fortasse non unicae uidentur fuisse. scimus enim Axium Paulum Ausonii amicum Delirum composuisse poetice[1], qui titulus simile quid sonat Queroli. sed nihil de eo poemate scimus certius.

Haec sunt quae dicenda habui de Vitali eiusque eclogarum exemplaribus. neque uero defuerunt qui ipsius comoedias imitandas sibi proponerent haud aliter quam ipse Querolum et Getam in nouas mutauerat formas; sicut Brunelleschi et Dominicus de Prato eius Amphitryonem in linguam uolgarem Italicam conuerterunt, Eustachius Deschamps in Francogallicam[2]; quod argumentum constat etiam nouissimis temporibus a poetis iterum iterumque esse uersatum. itaque etiam Vitalis poemata omninoque hae medii aeui siue comoediae siue elegiae quasi riuolorum instar transfudere liquores ex aetate classica quam uocamus ad saecula renascentium litterarum. qua de re uidentur mihi etiam philologis ‘heic di esse’. haec tamen amplius deducere nunc quidem non est in animo.

---

[1] Auson. epist. XI pg. 169, 9 Sch.

[2] uide de his egregie scripta a Victore Le Clerc, Histoire littér. de France XXII pg. 39 sqq.

II. DE LIBRIS MANVSCRIPTIS ET EDITIONIBVS AVLVLARIAE.

Amphitryonem Vitalis dixi iam uiuo auctore Aulularia magis tritam fuisse et celebratam, eademque ratio permansit ad nostram aetatem. nam Amphitryon postquam luce iterum donata est ab Angelo Maio anno 1833[1], editorum nacta est numerum satis magnum praesertim in auctore sequioris aetatis. ediderunt eam quantum scio quinque uiri magis minusue docti in diuersis partibus Europae: in Italia Angelus Mai, in Germania Osann[2], in Heluetia C. G. Mueller[3], deinde Wright Britannus[4], qui Muelleri editionem quattuor annis ante publicatam ignorabat, denique inter Francogallos Anatole de Montaignol[5], qui nullam e prioribus praeter Maii

---

[1] Auctorum classicorum V pg. 436 sqq.

[2] Vitalis Blesensis Amphitryon et Aulularia eclogae Darmstadii 1836.

[3] Vitalis Blesensis Geta comoedia, in Analectorum Bernensium part. II Bernae 1840.

[4] Vitalis Blesensis Geta, in Early mysteries etc. Londinii 1844 pg. 79 sqq.

[5] Bibliothèque de l'école des chartes ser. II tom. IV (1848) pg. 474 sqq.

editionem nouerat. quas inter Osanni editio est pessima[1], Muelleri optima, sed non bona; nititur ea codice Bernensi 702, qui longe optimus uidetur omnium quos quidem noui codicum Amphitryonis (sunt fere uiginti), sed non satis accurate eum collatum esse a Muellero uidi ex collatione ab Hermanno Hagen benigne concessa. haec tamen utut sunt, certe quinquiens intra tria lustra edita est haec fabula, at Aulularia ante tria saecula primum impressa adhuc uix semel iterata, neque innotuere nisi duo libri mscripti quibus contineatur. de his igitur iam referam.

1. C[ommelinianus liber].

Edita est Vitalis Aulularia ab Hieronymo Commelino in calce editionis Queroli ab Rittershusio curatae anno 1595[2]; quam editionem in duobus exemplaribus bybliothecarum Guelpherbytanae et Heidelbergensis superstitem[3] repetiuit Fridericus Osann post exemplar Am-

---

[1] cf. Mauricii Haupt castigationes in Jahrbücher der Litteratur LXXIX Vindobonae 1837 pg. 105 sqq.

[2] Plauti Querolus siue Aulularia ad Camerarii codicem ueterem denuo collata. Eadem a Vitale Blesensi elegiaco carmine reddita et nunc primum publicata. Additae P. Danielis, C. Rittershusii, J. Gruteri notae. Ex typographeio H. Commelin. MDXCV. 8⁰.

[3] tertium exemplar olim in Guelpherbytana bibliothecae exstabat inter libros Gudianos, quocum Sciassius contulerat Querolum ueterem comoediam ex libro Phaedri Remensi (cfr. de hoc codice Queroli narrata a Vincent monacho in Almanach de Rheims 1774, iterata a Berger de Xivrey in praefatione ad Phaedrum); Parisios delatus est liber Gudianus a Francogal-

phitryonis ab ipso anno 1836 publicatum. haec quoque editio perrara est. adfirmauit Osann editionem principem a se accurate expressam esse, sed multis locis errauit. ipse contuli Aululariam ad exemplar Heidelbergense a praefecto bybliothecae Palatinae benigne transmissum. factam editionem esse secundum codicem ab iis quos habemus diuersum aperte constat ex uariis lectionibus, cuius rei documenta hic omnia adnotare supersedeo. praeterea autem aliquot locos ultro mutauisse uidetur editor, certe ipse inuenit distinctiones miris modis interdum positas, quo uitio etiam Osanni editio ualde infecta est, ita ut permultis locis qui antehac intellegi non possent lucem adtulerim sola distinctione mutata. nos interim hanc editionem tanquam membranam deperditam curemus oportet. ceterum male impressa est, praesertim in fine uersuum litterae non semel oblitae et obfuscatae sunt. praemissa est epistula Commelini ad Rittershusium haec:

'HIERONYMVS COMMELINVS CONRADO RITTERSHVSIO I. C. S. D.

Gratum acceptumque habemus, Rittershusi amicissime, Querolum tuum cum D. Ioachimi Camerarii M. S. collatū. quid ni etiam tuum uocemus, quē quasi postliminio ab ipso reuocasti orco? certe primus Germano cōmunicas Orbi? Cui ne parum uideamur habere honorem, en tibi redhostimentum, alterum Querolum ex tuo illo natum, & iam recens a nobis in lucem editum,

---

lis, qui postea reddiderunt tantum exemplar quod nunc Guelpherbytis exstat. neque ubi nunc lateat genuinus liber scimus. ex melioribus codicibus Queroli uidetur fuisse Remensis.

diuerso tamen a parente habitu. Vide sis, mi Rittershusi, quum nomen illud odiosum sit, ne hic noster recens educatus, ut est apud Teium, πάλιν κύῃ καὶ ἄλλον. Vale, & in Querulo nostro horula una te oblectato.'

Osanni liber mirae socordiae specimen causa fuit commentationum utilissimarum optimarumque quas scripserunt M. Haupt[1] et C. G. Mueller[2].

2. D[uacensis liber].

Post hos Aulularia plane neglecta iacebat, donec Du Méril[3] lectiones libri Duacensis nō 461, rec. num. 371 publici iuris fecit, quem ita describit:

.... les variantes souvent fort mauvaises d'un manuscrit de la Bibliothèque de Douai, coté nō 461. Quoique il ne soit que du XV. siècle, l'écriture en est très-soignée et parfaitement distincte: la provenance en est inconnue, et on lit à la fin: Vitalis gallici blesensis allularia explicit[4]. *Les differentes scènes y sont marquées comme dans les vraies pièces de théâtre, et, ce que nous n'avons rencontré dans aucun autre manuscrit de ces élégies dramatiques, les noms des personnages qui y figurent sont inscrits en tête*[5].

Ab hac tamen descriptione ualde discrepat recen-

---

[1] l. l. coniecturae Hauptii non uno loco confirmantur lectionibus librorum qui postea uenere in notitiam D et L.

[2] in Iahnii annalibus nouis XXII (1838) pg. 428 sqq.

[3] Poésies inédites du moyen âge pg. 443 sqq.

[4] uide de hac inscriptione quae exposui pg. 23.

[5] similiter tamen nomina indicantur in libro mscripto Baucidis Bernensi no. 568 et in mscriptis Babionis (secundum descriptionem Wrightii).

tior clerici Francogalli qui libros mscriptos bybliothecae Duacensis iussu publico enarrauit Dehaisnes[1]. qui totum codicem ita describit:

No. 371. 1⁰ Auctoris incerti Sermones. — Incipit: „Egredimini . . ." 2⁰ (Fol 16ᵛ) „Quaedam exceptiones ex libris magistri Hugonis (de S. Victore)." — Incipit: „Quatuor sunt loca, unus in quo . ." — 3⁰ (Fol. 34ᵛ) „Liber Senece de copia uerborum siue de quatuor uirtutibus." — Incipit: „Quatuor uirtutum species, multorum sapientium . . ." — 4⁰ (Fol. 46ᵛ) „Vitalis Gallici Blesensis Aulularia." Incipit „Committens ollae fragili Queroli pater aurum." — Secundus prologus: „Qui releget Plautum mirabitur altera forsan." — Comedia: „Iratus Querolus fatis causatur iniqui . . ." — Desinit: „Fert luce ficta fides, lis cadit, acta placent." — 5⁰ (Fol. 60ᵛ) Versus alii. — Incipit: „Difficilis saepe non est deus aequus petenti. . ." — 6⁰ (Fol. 64) Excerpta ex diuersis auctoribus, Origene, Hieronymo etc. — Incipit: „Duae sunt uiae, una lata ad perditionem . . ." XIIIᵉ siècle.

Provenance inconnue. G. 863, D. 461. Ecriture minuscule gothique, de vingt neuf lignes, piquées et tracées au fusin . . . . 4⁰ Sur Vital de Blois, surnommé le Français (Gallicus) et sur son poème ordinairement intitulé Querolus, titre sous lequel il a été imprimé en 1564, voy. l'Hist. littér. de la France, t. XV p. 428 et suiv. et t. XXII p. 30. — 5⁰ Ces vers ne seraient-ils pas aussi de Vital de Blois? — On lit sur le feuillet 29ᵛ: „Gaspar de Bonnicourt, 1498". — On lisait autrefois sur la garde: „D. T.

---

[1] Catalogue général des manuscrits des bibliothèques publiques des departements, tome VI, Douai, Paris 1878.

Blanpainna." Un Blanpain fut religieux chez les Dominicains de Douai vers 1630. — Assez bien conservé. Reliure en parchemin, de 1846. — 105 feuillets; parchemin; 160 millimètres sur 90.

uides huic iudici codicem multo uetustiorem uisum esse quam Merilio, ac nouissimum uersum ab hoc aliter legi[1] et ab illo. ceterum si Dehaisnes reliqua quoque aeque leuiter egit atque de Vitali expositionem, nimis ei diffidendum est. nam Commelini et Merilii opuscula non nouit, et quae ipse laudat capitula ex historia litteraria Francogalliae tam neglegenter inspexit, ut Aululariam Vitalis confundat cum Querolo, quam fabulam pariter uidetur ignorasse. hanc enim, non Aulularian Vitalianam anno 1564 a Petro Daniele primum esse editam narrat G[uinguené] in histoire littéraire de la France XV pg. 429. — illa in rerum difficultate litteris adii uirum clarissimum Ludouicum Hauet Parisinum rogauique ut quae certius sciret de illo codice mecum communicaret. qui qua est humanitate me meaque desideria commendauit uiris clarissimis V. Henry professori et Rivière bybliothecario Duacensibus; hi autem non solum de codicis aetate atque scriptura doctissimis litteris certiorem me fecerunt, sed apographon quoque quadraginta uersuum accuratissime factum addiderunt, ex quo satis intellexi Merilium cum nimis multa et bona neglegeret, ipsum thensaurum a se inuentum non satis cognouisse. quare iterum a me rogati eo progressi sunt humanitatis ut totam comoediam a me transmissam diligentissime iterum iterumque cum codice conferrent. eo-

[1] male legit Dehaisnes. cfr. apparatum criticum.

rum igitur opera primo mihi nunc licere omnem materiam librorum in hac editione cum puluisculo exponere hoc loco gratissimo confiteor animo. obseruationes quasdam a clarissimis uiris collationi praemissas subiungam:

Le manuscrit est certainement du 13e siècle. — Il n'a jamais de majuscule qu'au commencement du vers. Chaque vers y fait une ligne. — L'hexamètre commence par une majuscule rouge, le pentamètre par une majuscule noire, toujours. — Les lignes qui contiennent une indication scènique (v. g. après vers 10, 28, 138 etc.) sont tout entières en lettres rouges. — La première lettre de chaque grande division (v. g. vers 1, 29, 185, 285 etc.) occupe l'intervalle de trois lignes et est de couleur verte. La première lettre de vers 1 est en outre ornée de rouge. — On lit toujours e *pour* ae'. —

Minus ualent quae ex Floribus poetarum adnotauit Du Méril. adscripsi tamen ex his quaecunque alicuius momenti uidebantur esse ad restituendam lectionem. nam permulta mutauerunt illorum auctores florilegiorum quo uersus singuli per se intellegi possent. quae enotare non est opus. adieci lectiones quasdam ex codice et libro impresso Vratislauiensibus quas benigne mecum communicauit Rudolfus Peiper.

3. L[ambacensis liber].

Tertium denique atque sicut uetustissimum ita longe praestantissimum librum Lambacensem ipse primus quantum scio contuli. commemorauit eum primum Mone[1], qui inde exscripsit primos uersus Aldae et Aulularíae

---

[1] Anzeiger für Kunde der teutschen Vorzeit VIII 321.

nouissimum distichon, sed quid describeret tum non poterat nouisse. petenti mihi ut liceret Bonnae codicem conferre concessit benigne reuerendissimus dominus abbas dñs Ioannes de Lasser, misit uir comissimus bybliothecarius r. p. Augustinus. huius codicis e re uidetur prolixiorem hic inserere descriptionem, cum uarios contineat thensauros eosque optime seruatos, ita ut non solius Aululariae editio hoc maxime niti debeat auxilio.

Codex membranaceus bybliothecae monasterii Lambacensis nō 100 formae octauae quam uocamus maioris, saeculo XII ab uno librario elegantissime exaratus est. lineae plerumque regula ductae sunt. inscriptiones et subscriptiones, litterae initiales singulorum carminum eorumque particularum minio pictae sunt. compendiis usus est librarius haud ita multis, insolitis nullis. folia sunt 96 a glutinatore quaternionibus non bene discretis peruerse ligata, cum hoc ordine legi debeant:

1—32	64
41—48	49—63
33—40	65—96

rectus ordo foliorum indicatus est initiis uersuum primorum in margine imo folii praecedentis adnotatis a manu saec. XV exeuntis: quae etiam numeros foliis imposuit. singulae paginae uersus continent fere 38. singuli uersus carminum singulis lineis continentur, uersus semper incipit a maiuscula. tegumenta libri sunt lignea corio ouino inducta, claustrum aheneum. notae in tergo libri hae aliae aliis subscriptae:

100 | 13 (a manu rec.) | M | memb. | C

et in summa pagina prima: 100. denique in primo tegumenti latere clarior locus indicat signum olim adfixum

fuisse altum circa centim. 5, latum 10. interius latus tegumenti oblitum est folio chartaceo tenuissimo, paruolis litteris per innumera compendia a manu recentiore conscripto. margines librarius primo uacuos reliquit satis amplos; qui post partim ab ipso additamentis uarii generis exigua scriptura completi sunt, partim a uariis uariorum saeculorum hominibus quisquiliis putidis inquinati, hic illic etiam resecti.

codex cum tegumentis altus est centim. 24,5, sine tegum. 23,8 centim., latus 14,5, crassus centim. 4 (tegumenta 1,5).

Continentur in codice haec:

I *fol. 1—6^b^* 'Versus Magistri Petri baiolardi ad Astrobalium'.[1]

inc. 'Astrobali fili, uitae dulcedo paternae,
doctrinae studio pauca relinquo tuae.
maior discendi tibi sit quam cura docendi,
hinc aliis etenim proficis, inde tibi'.

fin. 'ignorat trutinam nec libre pondera nouit.
est ideo donis gratia nulla suis.
ui Sathanas pugnat, patiens uirtute resistit.
stiterit a praece
si non desierit fligere uictor erit.
Expliciunt uersus M. Petri baiolardi'.

totum poema descripsi. sunt uersus Petri Abaelardi ad Astralabium ipsius et Heloissae filium. editi sunt apud Wright Relliquiar. antiquar. t. I pg. 15—21 secundum codd. Britannos, et a Dareste in Bibliothèque de l'école des chartes ser. II pg. 406 sqq. secundum cod. St. Audomari, et apud Victorem Cousin Abaelardi oper. I pg. 340

[1] compendia solui praeter dubia.

sqq. in libro Gallico exstant uersus 308 qui desunt in Britannis, desiderantur 92 quos hi seruauerunt; Lambacensis et hos et illos iusto ordine praebet, ita quidem ut multis locis reliquorum librorum menda ex eo sanari possint. uidetur igitur hic unus liber genuinum seruare opus, cum in reliquis excerpta quaedam ex eo legantur. falsa quae adnectuntur in editione Britannica omisit fere cum codice St. Audomari consentiens. de Abaelardo et Baiolardo nominibus uide quae collegit secundum Pezium Fabricius.[1] ceterum non praetermittendum puto quod in hisce uersibus multi mira necessitudine coniunguntur cum Publilianis sententiis, quarum historia fortasse ex iis aliquantulum proficere poterit.

*in margine fol. 2^a^* leguntur uiginti uersus memoriales uarii argumenti. descripsi.

II *fol. 6^b^* 'De manna et nuce'.

incip. 'Mirificum munus cibus omnibus omnis et unus'

fin. 'nucleus ipse deus, caro suber, testula crux est'.

octo uersus, fortasse Hildeberti Turonensis.

eodem fol. 'De VII columbae uirtutibus'.

incip. 'Istis incumbe, sic uiues more columbae'

fin. 'post fructus senos nutri pullos alienos.'

item octo uersus sunt. utrumque carmen descripsi.

III *fol. 7—12 princ.* 'De miraculis Christi tam ex ueteri quam ex nouo testamento.'

inc. 'Raro dilectus diuini munus amoris
ueras diuitias et summi culmen honoris.'

fin. 'ille quidem proprie recipit tantummodo iustos
est ius iusticie qui sit sine crimine cunctos.'

---

[1] Biblioth. latin. med. aetatis s. v. Petrus Abaelardus.

sunt uersus hexametri caudati qui uocantur. aut bini aut terni aut quaterni aut seni in fine consonant. passim singuli interfusi sunt uersus sine consonantia, opinor quia alterum uersiculum omisit librarius: nam persaepe aut uoces consonantes aut etiam maiorem partem uersuum omisit, denique totos uersus uacuos reliquit: uidetur exemplar habuisse deterrimum.

IV *fol. 12—22* 'Incipit Conflictus Ovis et lini.'
inc. 'Tempore quo campi linum solet herba uocari,
cum sibi iam telas spondet anus dubias,'
fin. 'non nisi consultis primum metropolitanis
pontifices uideant, quid super hoc statuant'.

poema elegantissimum atque ad cognoscendam artem lanificii et textrinae qualis in singulis Europae regionibus tunc fuerit grauissimum edidit H (Haupt opinor) in Zeitschr. für deutsches Alterthum XI pg. 215 sqq. secundum codices Bruxellensem 10046 et Lambacensem; sed huius lectiones nec omnes addidit nec accurate collatas. additamenta ex mea collatione subiungam. u. 11 ut ruminet herbas 33 nescis *correctum in* ne sis 44 debita 48 gemens 90 seque (*non* sequi) 91 cetera plurima 115 Flandria uares 119 complens 128 ac reliquis 149 Sic nix — ymber 154 aereas 181 gentis *corr. in* mentis 192 claucus 193 flandia 195 Tot (*pro* tu, *recte*) 197 Doctus 203 est (*non* ex) 207 ymbri 209 Yris 213 numaerare (*sic*) 234 praefert 239 Linea dependent 265 iaces 282 suo congrua 293 homines quali sibi (*non* sunt) — omnes *deest* 297 sollertia graia (*recte*, *non* grata) 304 Qui sit 306 nouit *ex* mouit 335 quod praecor (*non* deprecor) 361 populo 370 aereus 371 horas 385 femoris 416 sacra 422 quod — gerunt 431 reges 435 grauioribus omnibus muscus

438 Glade 457 distinctus 459 pars tibi 465 quotiens 469 optatae 470 erit 477 honestans 485 sanctae 493 sol *deest* 498 locus *deest* 511 Quid nisi 516 testis *pro* nigris 520 Cum sit 529 incautus 531 hoc 550 ex..at 564 quilibet obsequium 574 Precipiet 575 uulgando 600 phyalis 617 quid paucis haec sit sententia verbis 644 Iusserat 651 Hac 654 Illi quod 661 solum 663 deludere 667 Nec quasi 671 redimendis 683 non quisquam 684 Vt 699 quem (*non* quae) — conscendere 702 Nunc caret 720 cautus 723 totiens 724 leva 725 antiquis 730 faciunt — *uu.* 741 *et* 742 oui (*recte*) *adscribuntur*, 743—750 lino, 751—756 oui, 757—58 lino, 759—766 oui, 767 *sqq.* lino — 754 animas (*recte propter consonans* nefas) 756 illis 757 tangit 759 perstas 767 Dixerat (*non* Dikerat) — quoque *superscripto* &

ceterum huius poematis origo cum adhuc dubia sit, moneo ne quis post saeculum XI illud detrudat. commemoratur enim in catalogo monasterii 'Blaubeuern' saec. XI ex. (uide Becker catal. 74, 88 et quae addidit Perlbach in Centralblatt für Bibliothekswesen II 29 *extr.*)

V *fol. 22—32, 41—45 extr.* 'Incipit liber qui intitulatur Quid Suum Virtutis.'

inc. 'Destituit terras decus orbis, gloria rerum,
uirtus mortali dicta negare mori.'

fin. 'conscia uirtutis mens altum spirat honorem
in quodam secum culmine pacis ouans.'

est poema uersuum 1190 'de nummo' siue rectius 'in auaritiam' quod 'Kalphunio' cuidam adscriptum ab Hugone Trimbergensi in registro multorum auctorum Hildeberto Turonensi episcopo Cenomano, poetarum latinorum saecc. XI XII longe illustrissimo, uindicauit

post alios Hauréau, egregius in poesi latina medii aeui iudex, in Notices et extraits XXVIII 2 pg. 319 sqq., publici iuris fecit Otto in Commentariis criticis in codices bibliothecae Gissensis pg. 163—198, quam ad editionem totum carmen contuli. Lambacensis codex nonnulla habet noua eaque optima, ceterum saepe concinit cum Bruxellensi codice quem Otto suis immerito posthabuit.

VI *fol. 45^b extr. — 48^b, 33—40 med.* 'Incipit Comedia Triperi'. haec est Aulularia Vitalis. inscriptio explicatur uersu 693: 'ossa Tripericii Triperi patris haec tenet urna' (Tipericii Tiperi C olla C), ubi rectam nominum formam seruasse duos codices docet Querolus pg. 46 2: 'Trierinus Tricipitini filius conditus et sepultus hic iacet.' singula folia hisce incipiunt uersibus:

45^b fin.	u. 1	35	u. 386
46	u. 3	35^b	u. 424
46^b	u. 3	36	u. 462
47	u. 80	36^b	u. 499
47^b	u. 118	37	u. 535
48	u. 156	37^b	u. 573
48^b	u. 194	38	u. 612
33	u. 232	38^b	u. 650
33^b	u. 272	39	u. 690
34	u. 310	39^b	u. 728
34^b	u. 348	40	u. 768

hunc codicem Aululariae ut uetustissimum ita optimum esse sexcentis locis demonstratur, qua de re ad apparatum criticum delego. sunt autem grauiores dis-

crepantiae lectionum tribus illis codicibus plerumque, sicut fieri solet in poematis latinis medii aeui, non tam lapsus librariorum quam interpolationes ex uariis ut ita dicam retractationibus subortae; nam in his opusculis uel aequales ingenio indulgebant mutando inserendo contrahendo, posteriores minus etiam uerecundabantur. qua in difficultate certe alicuius momenti est maior aetas codicis. attamen ne in Aulularia unius libri L auctoritatem semper praeponamus mouemur ea re quod ne hic quidem codex auctori est aequalis. est autem ratio codicum ut breuiter dicam ea, ut interdum melior lectio euadat consensu librorum C et D, saepius concinat D cum L: sed perraro aut C aut D unus seruauit genuinam formam, saepissime L.

VII *fol. 40 extr.*, *40*^{b}, *64*, *64*^{b}, *49*^{a}—*54*^{b} *med.* 'Explicit Comedia Triperi. Incipit Comedia Vlfi.' est Guilielmi Blesensis Alda. codex hic uetustissimus, non ubique optimus. nomen tractum est a uersu primo: 'Dum parit Alda, perit; Vlfus pro coniuge natam diligit'. — contuli ad editionem Merilii.

VIII *fol. 54*^{b} *imo* minio exaratum est: 'Incipit Gallus In prouerbia Salomonis.' *fol. 55* 'Argumentum Subsequentis opusculi.' *incip.* 'Versificator iste memoratur Gallus fuisse et sicut in posterioribus pandit eius uitae fuit cuius Hieronimus et Gregorius.' *fin.*: 'Quem quoque cleri deli..ias competenti nuncupat appellatione et clerum utique in eiusmodi oportet exercitari atque uacare, quia sicut sunt remotae rusticorum a mensis delitiae ita et libellus iste ab ethnicorum infructuosa loquacitate.' 'Item aliud argumentum.' *inc.* 'Iste mul-

torum usibus prospiciens uersificus' *fin.* (*fol.* 55^b): 'Vt muta fiat pagina frontem uatis oblittera.' *dein*:

'Summo Pontifici & pape | uniuersali G. quidam nullius momenti ha|bitus uero monachici, in summo pontifice | diutius pontificari cum gaudio spirituali.

orbis delitiae primas per saecula salue.'

sunt partim disticha concinnantibus uersibus composita partim prosaicae periodi. *fin.*:

'cleri delitiae codex sic dicitur ipse,
orbis delitiae tu quoque papa uale.'

sequitur 'Propositio': 'Si salomoniaci florem uis carpere libri', dein 'Inuocatio', 'Narratio', denique ipsum opusculum, quod constat diuerbio patris et filii. pater loquitur quinis distichis, filius respondet octonis uersibus 'prosaicis' i. e. rhythmicis.[1] *desinit fol. 63. infimo:*

'laus et honor decus atque decor dominatio splendor
sicut inuicio huc semper limite nullo.
librificans amen liber amen lector et amen.
Explicit Gallus.'

opusculum nimium quanta diligentia inscriptionibus notis titulis miniatis ornatum est: in margine singularum partium hi uersus de mira carminis diuisione iterantur: 'Quincupla per denos | Decuplat sententia quinos | Acrior ut recites | Commata lector habes.' sed num tanto labore dignum fuerit ualde dubito. multa exscripsi.

IX *fol.* $65—93^m$ 'Incipit liber primus Bernhardi Mor-l... nsis.'

---

[1] ita Theodor. Engelhaus in chronico (uide scriptor. Brunsuic. cura Leibnitii edit. II 1121) Hugonis Trimbergensis registrum multorum auctorum *pulchram prosam* appellat. cf. de hac prosae uocis significatione Ferdin. Wolf libri de 'lais' pg. 76 sqq.

inc.: ‘Hora nouissima, tempora pessima sunt, uigilemus,
ecce minaciter imminet arbiter ille supremus.’

fol. 75. imo:

‘stare refugimus, ad mala fluximus, ad bona stemus,
hora nouissima, tempora pessima sunt, uigilemus.
Explicit liber primus Bernhardi Morlanensis de contemptu mundi. Incipit II.
Aurea tempora primaque robora praeterierunt,
aurea gens fuit, et simul haec ruit, illa ruerunt.’

desinit fol. 93 medio:

‘alta per equora currimus, anchora iam iaciatur,
uis ubi plenior auraque gratior ibit, eatur.
Explicit Bernhardus Morl.’

liber III. deest.

X *fol. 93 med — 94ᵇ init.* ‘Incipiunt uersus aequipollentes.’ sunt uersus quos Serloni Wiltonensi uindicauit Hauréau in Notices et extraits XXVIII 2 pg. 429 sqq., sed desunt praeter prologum multi uersus maxime obscaeni, ii quoque in quibus Serlo se auctorem profitetur. reliqui quoque ualde mutati sunt, ut necesse sit aut Serlonis opus iam a librario esse mutilatum aut ueterem hic seruari apparatum quem Serlo amplificauerit suisque facetiis inquinauerit. quod ego malim credere uel ideo quod codex paullo post Serlonem exaratus est, nam abbas Sanctae Eleemosynae ille memoratur in actis eius monasterii ad annum 1171 et 1173.[1] — contuli ad editionem Hauréaui.

XI *fol. 94ᵇ* ‘Item alii uersus.’

inc.: ‘Quid quaerar edam, faemina quaedam me male ledit’

[1] uide Gall. Christ. VIII 1398. cf. Hauréau in Mémoire de l’acad. des inscriptions XXVIII 2 pg. 242.

fin. 'cum nec amando nec mea dando fas sit habere.'

XII *fol.* 94^b *inf.* — 95^b *med.* 'Versus XII sapientum quibus ornabant sepulchrum Cyceronis.'

incip. 'Hic iacet Arpians manibus tumulatus amici,
qui fuit orator summus et eximius.'

desin. 'qui sexaginta completis ac tribus annis
seruicio pressam destituit patriam.'

contuli ad editionem Riesii A. L. 603 sqq.

XIII *fol.* 95^b—96 *med.* 'De V literis grecis mysterio plenis.'

incip. 'Quinque typo plenis greci pollent elementis

fin. 'uirtus in dextro, fraus est in calle sinistro.'

XIV *fol.* 96 *med.* 'Versus decretales.'

incip. 'Sanguinis in paenis nisi mechus transigat omnis.'

fin. 'tunc se purgabit sub tali conditione.'

utrumque descripsi.

XV *fol.* 96 *extr.* *et* 96^b uarii secuntur uersus memoriales prouerbia sententiae quae magnam partem Hildeberti Turonensis aut sunt aut uidentur esse. enotare singula longum est, omnia descripsi aut si qua edita esse sciebam contuli.

item *margines fol.* 93 *sqq.* diuersis additamentis conscripti sunt argumenti partim satis liberi. quae inter mentione maxime dignum uidetur carmen ad presbyterum quendam Algerum de Walburga uxore eius moecha, quod scriptorem sapit Martialis et quem uocat Nasonis papae non infeliciter studiosum. *incip.* 'Presbyter Algere, tibi consilium dare uellem', *fin.* 'ne sis catholica pulsus ab aecclesia.' haec quoque omnia descripsi.

Denique ut concludam narrationem iam nimis lon-

gam, codex Lambacensis optimum praebet auxilium in edenda Aulularia, dein in recensendis uersibus Abaelardi, Alda Guilielmi, carmine in auaritiam Hildeberti, conflictu ouis et lini; neque neglegendus est in reliquis Bernhardi potissimum libris aut in minoribus iis quae partim fortasse solus habet.

AVLVLARIA

INDICANDIS LIBRIS HAE SIGLAE INSERVIVNT:

C est editio Commeliniana
D codex Duacensis
L codex Lambacensis.

w codex florum poetarum Vratislav. IV F 87 saec. XV.
f editio florum poetarum s. l. e. a. Vratislav. incun. no. 2580.
flor. poet. indicat consensum uariorum codicum editionumue florum poetarum.

AVLVLARIA

ARGVMENTVM

Committens ollae fragili Queruli pater aurum
fecerat in titulo funeris esse fidem.
it peregre. seruo moriens secreta recludit.
in Querulum rediens cogitat ille dolum:
fit magus utque domum Queruli expiet, hanc subit. olla
tollitur. in titulo fallitur, ossa putat.
redditur, inicitur laribus, confringitur, aurum
fundit: adest Querulus, fusa talenta legit.
mentitur seruus, quia reddidit ultro, fidemque
inuenit in fraude, creditur, acta placent.

PROLOGVS

Qui releget Plautum, mirabitur altera forsan
nomina personis quam mea scripta notant.
causa subest facto. uult uerba domestica uersus,

VITALIS GALLICVS | BLESENSIS | DE | QVERVLO C incipit Comedia TRIPERI L D *incipit a* Committens 1 ollae] olle D (*et sic ubique* e *pro* ae) Queruli] Queroli D (*et sic semper*) — *lectiones codicis Hugonis Trimbergensis Graecensis uide pag. 12* 7 inicitur] iniicitur C 9 quia] quod C reddidit] rettulit L Prologus] Explicit prologus. Item prologus D 12 quam] qua D notant] notent CD 13 subest] sua est D mea est L *cf.* causa subest *Amphitr. u. 362*

grandia plus aequo nomina metra timent.
sic ego mutata decisaue nomina feci
posse pati uersus; res tamen una manet.
arguet hoc aliquis, mea quod comoedia fatum
nominet et stellas, atque amet alta nimis.
desciuisse ferent, humilemque ad grandia stulte
euasisse stilum. crimina Plautus habet.
absoluar culpa; Plautum sequor. et tamen ipsa
materiae series exigit alta sibi.
Haec mea uel Plauti comoedia nomen ab olla
traxit, sed Plauti quae fuit, illa mea est.
curtaui Plautum; Plautum haec iactura beauit;
ut placeat Plautus, scripta Vitalis emunt.
Amphitryon nuper, nunc Aulularia tandem
senserunt senio pressa Vitalis opem.

Iratus fatis Querulus causatur iniqui
nominis auctores et dolet esse deos.
et: 'quid' ait 'uoluere dei, cum temporis ortu
informem in formas distribuere globum?
scilicet expositos fatis ut sortis amarae
ureret asperitas detereretque labor.
naturae gremio melius sopita iacerent

16 uersus] uersum CD 17 quod] si C comoedia] comedia L *et similia passim, quae adnotare supersedeo* 18 atque amet] et canat CD 19 desciuisse] Nesciuisse L ad] & L 24 traxit sed] Traxerit et L 25 iactura] iactata C 27 Amphitryon] Amphitrion L Aulularia] allularia D tandem] tamdem C *post u. 28* Explicit Prologus C Explicit prologus. Incipit comedia D Iratus *uox maiusculis prima littera miniata L* 29 fatis Querulus] Querolus fatis D 30 nominis] Ominis L Numinis D 31 uoluere] u *secunda in ras.* L dei] dii D 34 detereretque labor] deiceret que dolor D

omnia et in sterili matre sepulta forent.
nunc labor aeternus, aeterna angustia cunctos
decoquit, ut durent esse nec esse uelint.
cunctis o utinam! sic sors tolerabilis esset;
sors mala si fuerit omnibus una, placet.
dura minus laedunt, si sunt communia. sed cur
iurauere omnes in mea fata dei?
natus ego ut quererer semper, Querulusque uocatus,
ut uiuam querulus et mea fata querar.
mira mei uideo praesagia nominis: audi
nomen: quae mea sint fata notabis eo.
sum miser atque meo mea nomine nomino fata,
asperitasque noui nominis omen habet.
res sequitur nomen; an nomen ab omine duxi,
uel causam nomen ominis esse rear?
uixissem infelix, etiam si Iulius essem;
aspera mutato nomine fata manent.
hoc quoque miror ego, quod cum caput exero tristis,
ecce meum quouis nomen in ore sonat.
sibilat in Querulum plebecula meque secuntur,
et nisi cum turba non licet ire mihi.
nomen habere nocet: cum nomine sum miser ipso,
sustineo inuidiam nominis ipse mei.
quam mala condicio paulatim uenit in usus,

36 sepulta] sopita D 38 durent] curent C uelint] uolunt [l uelint] L 39 sic] si L 41 dura minus] Pura minus D damna minus C sunt] sint CD 42 fata] dampna D dei] dii L 45 audi] audis C 49 sequitur] tur *in ras., dein 3 litterae erasae* L 50 uel] an CD causam] caream L 52 manent] forent [l manent] L 53 quod] quia D tristis] tectis CD 55 secuntur] sequuntur D *uu.* 56 *et* 57 *desunt in* C 56 ire] esse [l ire] L mihi] michi LD, *et sic passim* 57 cum] et L 58 ipse] esse C 59 quam mala] quae male C condicio] conditio D conditos C

nomina quod natis imposuere patres!
at quanto melius, simul ac adolesceret aetas,
nomen ad arbitrium sumere quemque sibi.
qui modo sum Querulus, augusti nominis heres
Plato uel Socrates Pythagorasue forem.
odi Pythagoram, quia carnibus horruit uti
et sibi cognatum credidit esse suem.
quam uarios hominis mens anxia quaerere uerum
edocet errores! uera latere uolunt.
Iuppiter his hominum suspendit pectora curis,
ne foret ex aliqua parte beatus homo.
ausus in arcana naturae inrumpere Plato
unum deprendit et docet esse deum.
unde necessarii seriem cum duplice fato
ordinis intexens dedocet esse deos.
et fatum fato sic explicat, ut licet insit
ordo necessarius, omnia casus agat.
atque iterum fatum fato sic implicat, ut sors
ipsa necessaria lege coartet iter.
ergo necessario Querulus miser et nequit esse
non miser, huic sectae si sit habenda fides.
somnia Platonis innexa ambagibus odi,
dum studuit canere non capienda mihi.

60 quod] cum C imposuere] inposuere LD 61 adolesceret] adoleuerat C 62 sibi] suum l sibi L suum CD 63 augusti] angusti C heres] essem l heres L 64 Pythagorasue] pytagorasue L pythagoras que D 65 Pythagoram] pytagoram L 66 cognatum] congnatum D cognatam C 67 anxia] conscia CD 68 edocet] edidit CD 69 Iuppiter] Iupiter CD 71 arcana] archana LD inrumpere] erumpere CD 72 deum] deos C 74 deos] s *in ras.* L 76 necessarius] necessariis L agat] agit D 77 fatum fato] fato fatum C implicat] explicat C 78 coartet] cohartet C 81 somnia] scrinia D

hoc unum placuit: turbam negat esse deorum.
utile quod docuit, sit licet error, erit.
uiuit homo superis et iam sibi nemo laborat;
sis diues, cole tot numina, pauper eris.
stulta hominis pietas gaudet seruire creatis
a se numinibus et facit esse deos.
horret opus manuum quaeritque quod imperet illi
nescit et infelix uiuere liber homo.
hoc lare bina Lari data sunt altaria quondam
fortunamque laris fecimus esse Larem.
ex tunc irata est nobis Fortuna deoque
ipsi: pro miseris nil facit illa deis.
mane tamen primo: 'dona, Lar sancte' rogamus; —
nescio quid donet: nil habet ille sibi.
Lar datus est tutela lari; malus est mihi tutor,
quem male si tuear, non bene tutus erit.
qui tutoris eget, misere commissa tuetur:
si mihi Lar deus est, cur eget ille mei?
si sapiant homines, mendicat turba deorum:
ordine conuerso numina pascit homo.
aut certe deberet homo deus esse deorum:
ille deus Queruli est, qui bene pascit eum.
Lar, alium tibi quaerere larem! mihi nil dedit unquam
nec dabit humanae relligionis opus.

84 sit] quod L 85 et iam sibi] etiam si D 89 quaeritque] queriturque C imperet] inperet D *et sic semper in* D, *passim in* L 90 nescit et] nesciat C nesciit D 91 data sunt] sunt data C 93 irata] innata D 94 illa deis] ipsa diis D 96 nescio] nescit D ille] ipse D *uu.* 99 *et* 100 *desunt in* D 101 sapiant] sapient C mendicat] mendicet CD 102 pascit] poscit w pauit D 103 aut] at C 104 est *omisit florum poetar. editio apud Du Méril* 105 alium] altum L mihi nil] nil mi C 106 relligionis] religionis L

prodigus ad sumptus superis pater extulit aras,
extulit et tumulos ossaque fouit humi.
funeris omen erat: domus est damnata sepulchro,
funereaeque domus omina sortis habent.
quid ualuere suis superi cultoribus? audi:
ille deum cultor maximus exul obit.
si quem felicem uis dicere, consule finem:
nemo prius felix quam morietur erit.
in lare seruus edax Querulum premit, inuidus extra:
sic uenit ex omni sors mala parte mihi.
quam male Pantolabum Querulo sors inuida iunxit!
sum per eum Querulus: quod queror ille facit.
pransus habet causam mecum, cur sit pede nudo,
tanquam si sibi sim, non mihi natus ego.
uenter inexpletus cuiuis iacet aequus aceruo,
crescit edendo fames; dat cibus ipse famem.
consului medicos: medici dixere bolismum,
scilicet esuriem, quae solet esse cani.
de consumptore medici fecere uoracem,
perpetuam peperit addita cura famem.
exitus hic artis medicae est: si quid male sentis,
accede ad medicum, protinus aeger eris.

107 ad sumptus] ad sumptum CD 108 tumulos] titulos D humi] aui CD 109 damnata] dampnata LD (*et sic semper*) 110 habent] habet CD 111 superi] super L 113 dicere] quaerere D *flor. poet.* 114 morietur] moriatur *flor. poet.* 117 Pantolabum] Pantalobum L Pantalabum C Pautolabum D *cf. Horatii serm.* I 8_{11} II 1_{22} 118 quod] ut D queror ille] querar ipse CD 119 causam mecum] curam seruus L 120 tanquam] tamquam C si sibi sim] sim sibi C 121 cuiuis] crinis L cui D 124 cani] canit L canum C 125 uoracem *ex* ueracem L 126 addita] altera D 127 est *omis.* L 128 medicum] medicos C

ultimus hic miserae sortis gradus, ut sine furti
culpa nullius spes sit habenda lucri.'
Sic sibi, sic seruo, sic indignatus et ipsis
numinibus Querulus omnibus hostis erat.
Lar aderat laturus opem. sed tristia fata
qui lenire parat, asperiora facit.
qui damnat mala fata placet, qui lenit acerbat,
irritant animos fortia dicta graues.
'uiuat' ait 'Querulus!' 'uiuat?' responderat ille.
'in misera peius nil dare sorte potes.
sors mala tunc peior, cum fit prolixior illa.
si breuis est, aliquid prosperitatis habet.
mors miseros ditat et fato fata quiescunt,
uiuere da misero, fit magis inde miser.'
'non ita' Lar inquit 'uera est sententia: ni te
esse putes miserum, non potes esse miser.
non faciet miserum casus, sed opinio sola:
si constes animo, casus inermis erit.'
'insanire doces homines: quae monstra uidebis,
si sese miserum nesciat esse miser!
qui miser est errat, si se putat esse beatum,
nec quisquam ignota sorte beatus erit.'

129 miserae] miseris C *post u.* 130 *in* D *miniatis litteris haec:* Querolus lari. et lar querolo. *in* L S *littera maiuscula miniata* 131 sic sibi sic] sic igitur C 134 parat] cupit C 135 placet] leuat D *flor. poet.* lenit] leuat w 137 responderat] respondeat D ille] alter C 138 in misera] inuisa C 139 cum fit] si sit CD illa] etas l illa L 141 mors] sors C 143 est] *sub* ẽ *ras.* L ni te] uitae L 144 putes] putas LD *flor. poet.* putes *praefero propter consonantiam cum potes* — non potes esse miser] non miser esse potes C 145 faciet] i *in ras.* L miserum casus] casus miserum CDf sola] falsa C 147 homines] hominem CD uidebis] uidebit L uideres C 148 nesciat] nesciet C 149 putat] putet *flor. poet.* 150 ignota] innota D

‘ne mea uerba frequens turbet responsio! namque
qui tacet est melior; dicere disce tacens.’
‘fac rogo ne dicas tantum, sed et utere rebus,
exhibeas opere, quod ratione doces.
multa quidem dixere dei, sed pauca dedere;
quam facile est cuiuis dicere! facta grauant.’
‘ordinis aeterni series angustat et arcet
res; Iouis imperio quaque iubentur eunt.
ordinis est ordo: qua mentem respicit, haeret,
qua resolutus abit, ut moueatur habet.
implicitum mentis ratus explicat ordo; uagatur
non errore uago, nec sine lege meat.
sic plicat implicitum, sicque explicat ordo beatus,
cuncta beans, misero quod locus omnis abest.’
‘nunquam rebar ego, quod Lar Platonicus esset.
qui docuit superos Plato beatus erat!
si teneat res quemque locum feliciter, arcet;
sed quid erit, miserum si tenet illa locum?’
‘quo tibi plus medeor, aegrescis durius inde,
utque magis doleas, nostra medela facit.
arte manus medicae crescit dolor ut minuatur;
quo magis urgetur, et minus ulcus obest.
sors tibi mutatur ut tu muteris et illi,

151 ne] Me L mea] m *in ras.* L turbet] turbat L 152 dicere] discere D *in margine ab alia manu eiusdem aetatis scriptura pallida adscriptum est* uiuere 153 tantum sed et] preme uoces CD 154 exhibeas] exibeas C ratione] racione L 156 est *sscr. in L omis. D* 158 imperio] edicto CD 159 qua] quo D haeret] eret C qua resolutus] Quare solutus D 162 non] hac C 163 implicitum] explicitum LD explicat] implicat LD 164 misero quod *sripsi* misero qui L misere quod CD 167 quemque] quaeque CD arcet *scripsi, an recte?* ardet L errat CD 169 quo] Quod D medeor] medear L 172 quo] Quod D 173 mutatur] se mutat L

quoque tibi placeas, displicet illa tibi.'
'protraxit miseros fallax promissio diuum,
nec rata nec stabilis nec bene digna fide.
ut sua dent homines, semper sperare iubentur,
donec spem uanam res male lapsa probet.
reddere lentus erit hilaris promissor et audax
ad promissa parum credulitatis habet.'
Exierat Lar a laribus Querulumque querentem
questibus exponit, cesset ut inde queri.
decrescit dolor ad gemitus, sed clausus abundat:
plus irae quotiens clauditur ignis habet.

Edomitus longo Queruli pater orbe uiarum:
urgebat Lachesis in sua fata manus.
mortem inuitabat adiuta labore senectus.
proxima mors seruo credere cuncta iubet.
seruus adest dominumque senem circumuenit, ambit,
palpat et officii sedulitate capit,
non quod amet, sed ut emungat sic scilicet aere
secretoue aliquo: non bene seruus amat.
assedit. dominus 'nosti, mi Sardana,' dixit
'quod tibi non dominus, sed pater ipse fui;

174 illa tibi] illa sibi CD 175 protraxit] Protexit L fallax] felix D diuum] dure D 177 ut] Et w iubentur] i *et* b *in ras.* L 178 uanam] uariam L male] mala w 179 lentus] letus C hilaris] hylaris LD 180 credulitatis *ex* crudelitatis L 182 queri] loqui D 183 ad] et w gemitus] gemitum L abundat] habundat D 184 quotiens] quoties L 185 Edomitus] Sedomitus D *littera initialis colore ornata in utroque codice* 186 manus] manum C 187 adiuta] adiuncta L senectus] senecta C 190 capit] caput D 191 scilicet] sedulus L aere] e re C 192 secretoue] secretoque D amat] amet L 193 *ante* dn̄s *parua rasura* L Sardana] sardina L

nec uolui, ut solitum est dominorum uulgus, abuti
imperio in seruum, nec mihi seruus eras.
ergo quid emerui? quod tu deuotior esses,
utque tot empta mihi sit tua firma fides.
cur sit opus certaue fide studioue tenaci
secretoue alto, collige, cuncta scies.
aede mea qua parte laris premit angulus aram,
olla fidelis habet mille talenta mihi.
damnauit misero me sors herede parentem,
nec cuiquam peior filius esse potest.
non equidem timui natum, quod prodigus esset,
sed quoniam temere quod gerit ille gerat.
o utinam sciat ille tenax aut prodigus esse!
cum sit utrumque malum, non mediocre iuuat.
cum uitium sit utrumque, tamen nos utimur illis:
largus amicitias urget, auarus opes.
urget in errorem commissa pecunia stultum;
paupertas cohibet: dum caret, inde sapit.
quem uetat expleri res paruula, displicet error,
copia stultitiam quam parit, illa placet.
euasit Querulum commissa pecunia terrae,
atque fide nati tutior olla mihi.
nos peregrinantes iam septimus inuenit annus,

195 nec uolui] non uolui CD est] *omis.* L 197 quid emerui?] quidem merui C quod merui D quod] quo LD 199 cur] cum C 200 secretoue alto] secretoque alio L 204 cuiquam] quisquam C 206 gerit ille gerat] regit ille regat L 208 *in margine* (*cf. ad u.* 152) nil D 209 uitium] uicium LC 210 largus] nullus C Quam plus D (*unde uidemus fuisse olim qui legerent* Amplus) amicitias] amicicias L 211 in errorem] maerorem C 213 quem] quae C expleri] expplō L 214 stultitiam] stulticiam L

absumus a patria: tarda senecta nocet.
heu miror talemque locum mihi funeris esse.
non de communi condicione queror.
lex ea naturae: solui sociata necesse est:
dispensat sedem funeris ira deum.
dulce mori in patria est, dare dulcibus oscula natis,
sortiri heredes, ponere cuique suum,
coniugis illabi lacrimis humerisque parentum,
ignibus imponi matre tenente facem.
funeris hic ordo est, haec sunt solacia mortis,
si non pulchra satis, qualiacumque tamen.
Sardana, te solum mihi sors irata reliquit,
meque tuo officio mater habebit humus.
mordeor heredis cura, qui uiuat honestus,
quod per eum nostra uita superstes erit.
quo minus est sapiens, caui studiosius illi,
et caueo; pietas me iubet esse patrem.
forsitan ut saperet, et doctor et usus et aetas
impulit et super hoc ingeniosa fames;
si neque sic sapiat, melius perdetur in illo
res mea, quam lateat diuite semper humo.
res eget indicio, teque indice filius heres
mille talenta ferat: tu tibi sume decem.
seruitiique iugo te libero, liber abibis:

219 miror] *ita libri, an* maeror? 220 non] nec C 222 sedem] sede D 223 est *omis.* CD 228 pulchra] pulcra D 229 Sardana Sårdana L sors] mors L 230 meque] Me quoque L 231 mordeor] de *in ras.* L qui] quo CD 232 nostra uita] uita nostra CD *uerba inde ab* et *u.* 235 *usque ad* sapiat *u.* 237 *in contextu omissa in margine adscripta sunt ab eodem librario in* L 236 hoc] haec C 239 teque indice filius] qua te indice doctior D 240 ferat] feret C *sed nouissimae 2 litterae ualde obscuratae* 241 seruitiique] seruiciique LC

Sardana qui fueras, a modo Paulus eris.
Sardana, liber eas, et eas feliciter opto,
et mihi quanta tui, sit tibi cura mei.' —
haeserat in lacrimis. fletu mentitur amorem
Sardana. flent ambo: gaudet hic, ille dolet.

Excipit urna senem. turbatur funeris ordo.
improcurato funere seruus abit.
quam male seruus amat! timor absit, cessat amare;
non amat ut timeat, sed timet hic ut amet.
aere superbus heri spes Sardana concipit amplas,
iam liber, iam non Sardana iamque suus.
quam male diuitiae serui famulantur in usum!
seruus enim locuples aspide peior erit.
dum reducem tenet ille uiam, spatiumque locusque
sufficit, hoc sibimet consulit ille modo:
'Sardana, sorte noua felix felicius aude:
spes noua sors renouat, ampliat ampla tuas.
res angusta uetat, ne quis sublimia speret.
res senis accessit, re fruar. ille iacet.
et iacet et iaceat. certe nihil aequius aequi
dispensant superi, quam quod auarus eget.
uixerat ille mihi. bene temperat omnia fatum.

243 liber eas] nunc ibis L opto] oro CD 245 haeserat] Reserat D *a linea ut aiunt positum. sed noua scaena ut ita dicam incipit potius a u.* 247 247 improcurato] impercurato C 249 cessat] cesset L 251 superbus] superbit C 253 famulantur] doiantur w (*sic, pro* dominantur) 255 dum] Cum D tenet] terit D spatiumque] spaciumque LC locusque] locumque LC 256 hoc] hic L 257 aude] audi L 258 renouat, ampliat] renouet ampliet CD 259 ne quis] ne quid LD speret] sperat w 260 fruar] fruor D fuar C 261 nihil] nil CD 262 quod] *sscr.* L 263 uixerat] Dixerat D

proderit ille aliis, qui suus hostis erit.
gaude quisquis eris, ne post te gaudeat heres.
utere: quas nutris, alter habebit opes.
in locuplete domo Querulus mendicat et aurum
non sibi custodit, non sibi diues eget.
dum potuit pater esse pius, fuit impius illi,
seque pium perhibet, dum nequit esse pius.
ad libitum partitus opes de mille talentis
particulae heredem me iubet esse senex.
non bene partitur. sed non sum Sardana, si non
emuncto Querulo mille talenta feram.
quem timuit uiolare senex, sacratus aceruus
non cadat in partes: frangere sacra nefas.
sola fides confert? solis est aequus iniquis
Iuppiter, et superos qui timet, ille perit.
decipiat Querulum mentiti nominis error:
non ultra dicar Sardana, Paulus ero.
Paulus ero, Pauli Romani consulis heres:
sub titulo Pauli Sardana clarus erit.
cognita uilescunt, qui non est notus amatur,
ut sis ignotus, hoc age: carus eris.' —

Reddiderat patriae seruum lux septima: nescit,

264 proderit] Prodidit L aliis] alii C erit] erat C 265 heres] alter f 269 pius] prius L 272 heredem] herede D 273 partitur] partitus D 276 cadat] cadet CD 277 sola] laesa CD solis est] soliis etiam L 278 Iuppiter] Iupiter D et] ut L 279 decipiat] decipiet] CD nominis] numinis L 282 titulo] tytulo D *ante u.* 285 Liber II C Sardana Gnatonem Cliniamque amicos conuenit D R *littera initialis maiuscula minio picta* L 285 patriae seruum] seruum patriae D nescit] noscit C

qui cupit, esse piger: spes bona posse facit.
excipit ignoti noctu domus hospitis illum:
Sardana sollicite ne uideatur agit.
se studet esse alium naturamque alterat arte:
qua iubet et facies et color oris eunt.
lasciuit nutrita diu coma iussa uagari,
atque humeros ausa lambere colla tegit.
descendunt humeri ceruixque elata laborat,
altius eductum iussa tenere caput.
pectoris ille modus solito propensior exit,
auro mendaci dextra superba nitet.
empta senis spoliis noua diuite uestis amictu
luxurians membra luxuriare iubet.
Sardana iam dubitat, utrum sit Sardana, seque
forsitan ignoret, si sinat ipse sibi.
Romanum genus et linguam praeponit Achiuae,
interdum quaedam barbara uerba sonans.
non intellecta dis aut mortalibus audet
fingere. plus ideo credulitatis habet.
Gnathonem Cliniamque duos conuenit amicos,
per quos dispenset quem parat ille dolum.
‘uos’ ait ‘elegi, quos contulit usus amicos,
ut mea per uestram cura leuetur opem.
propositumque modumque loquar; modus aptior alter

286 qui] quod C 290 qua iubet et facies] quaque iubet facies CD eunt] erat L 294 altius] Artius D eductum] educta C 295 solito] subito D exit] errat L (*an* exstat?) 300 ignoret] ignorat L ipse] esse D 301 Romanum] Romani C praeponit] proponit L 303 aut] et CD 305 Gnathonem] Gnatonem LD (*et sic semper*) duos *Buecheler* dolis *libri* conuenit] conuertit D 306 dispenset] dispensat C deprendat D 309 loquar] loquor L aptior] altior C

si fuerit, uestra calliditate fruar.
morte pater Queruli uictus suprema fateri:
"aede" mea dixit "mille talenta latent.
portio prima tibi centesima fiet acerui,
in Queruli iura quod superabit eat."
sed potius peream, potius ferat ille uel alter,
quam Querulus studio cesset egere meo.
nos ad opes, nos inuitat Fortuna, sequamur!
ad lucra perfacilem praebuit illa uiam.
aspice quantus honos et gloria diuitiarum!
unde parentur opes, quaestio nulla mouet.
nusquam deterius furtiuum uenditur aurum,
partaque legitime non magis aera nitent.
Fortunam Querulus questuque odioque fatigat
deque sua sorte non sinit ipse queri.
quilibet impatiens miserae mala sortis acerbat,
sors mala, si quereris, fiet acerba magis.
fingite me talem, quem sors audire minantem
horreat et magica qui sit in arte potens,
qui piet aduersam sortem quique imperet astris,
carmina qui superis imperiosa ferat.
credulus est Querulus: sub nomine sortis iniquae

311 uictus] pressus D suprema] supprema LD 314 iura] cura D 315 ille uel] illa tibi D — *pro u.* 319 *in* CD *hic legitur uersus:* quod (quam D) putat oblatum (oblata D) ne post de sorte queramur. *fortasse in omnibus libris deest aliquid, certe ad* 320 *melius conuenit uersus qui est in uetustissimo codice* 319 quantus *scripsi* quantos L 320 parentur] parantur D 321 nusquam] nunquam C 323 questuque odioque] questumque odiumque L 326 mala] male C quereris] pateris CD 327 fingite] fugite D F *maiuscula miniata ut in initio capitis* L 330 ferat] facit C

exibit uestra nobilis olla manu.
sed tamen et caute! quia fraus nisi fraude tegatur
nulla ualere potest; ars perit arte carens.
qua maris unda furens angustat Palladis arces,
alter, ab aduerso dirigat alter iter;
ante domum Queruli sic gressus temperet alter,
ut quasi festinus obuiet alter ei.
aduenisse magum dicatur, ut audiat ille,
arte tamen, ne res arte putetur agi.
res caret illa fide, quae praemeditata uidetur,
impraeconsultum dicere uera putant.
Gnatho 'sat est' dixit 'summam dixisse, nec ultra
Gnathonis uirtus ut doceatur eget.
rem teneo, sed quae melior, mea gloria promat;
hoc superest: nostrae diligat artis opus.
Sardana — di tribuant Gnathonem posse mereri,
quod nos participes ad tua lucra uocas —
dum Querulum elicio domibus, tu sedulus ille,
quem te mentimur, ut uidearis age.
fortunae uultus respondeat; ora coaptes
assimilaturis fallere docta modis;
sit persona magi, Romani lingua, potentis

332 uestra] nostra C 333 nisi] ut w 334 ars] fraus D *flor. poet.* 335 arces] arches D 337 sic gressus] gressus sic C temperet] dirigat L 338 ut] et C 343 Gnatho] Ergo gnato L (*sic, cf. ad* 690) G *magna maiuscula miniata in* D — *uu.* 345 346 *maxime obscuri sunt et in L et in CD, quae posui ex L genuina uix puto* 345 *littera prima maiuscula miniata in* L sed quae] si qua C melior mea gloria] melior uia singula CD 346 hoc] haec D nec C nostrae] uestrae D diligat] deligat C 347 di] dii LD dum C 348 quod nos] et quos CD 349 tu sedulus] si sederit D ille] ipse C 350 mentimur] mentitur L 351 uultus] ludo C 352 assimilaturis] assimilatiuis C Assimilatis D docta] dicta C

uultus, philosophi sermo, studentis opus.
praesentet numeros abaci tibi pagina mendax,
et coram libros ut studiosus habe.
derogat hoc fidei, male cum sibi facta cohaerent:
non tam uera fidem quam quasi uera iuuant.'
Sardana sublimi solio Gnathone ministro
tollitur, occultis interiore domo.
castigat formatque hominem: 'sic ergo loquaris:
sic tibi, sic Querulo, sic mihi, sic aliis.
pauca loquaris age. qui garrit, ineptus habetur,
qui sapit, ille parum garrulitatis habet.
interdum cartas oculis ita respice limis,
ut totum ex cartis te putet ille loqui.
scripta fidem firmant, commendat pagina uerum,
falsa putabuntur, quae sine teste geres.
tu quoque, mi Clinia, qua muros urbis et arces
Palladis angustant aequora, carpe uiam.
at breuiore uia gressus dimetiar istac.
mecum discutiam: uerba stupentis erunt.
occurres et quid stupeam cognoscere quaeres.
celabo, orabis: dissimulabo, premes.
irascar, magis instabis. iurabo, minabor:
tuque magis iures, et magis adde minas.

354 philosophi] phylosophi LD 355 praesentet] Presentet L Presentes D abaci] bachi D 356 habe] age C 357 hoc] hic f facta] ficta D *flor. poet. editio ap. Du Méril* cohaerent] cohercent D 358 quam quasi] sed nisi w 359 ministro] magistro D 360 occultis] occultus CD 361 loquaris] loqueris L 365 cartas] carthas D *et sic mox* e carthis limis] binis C 366 totum ex cartis te] te cum cartis te L (*fortasse* te cum cartis tunc) 367 uerum] uerbum L 368 geres] geris C reges L 369 arces] arches D 71 at] hac CD dimetiar] demetiar D istac] ista CD 373 cognoscere] congnoscere D

litis erit species: Querulus tunc litis amator
postibus haerebit, singula nosse uolens.
acrius insistas. prece tunc quasi uictus amica,
ut secretum habeas, tutior esse uolam.
ne dubita iurare deos. hic est modus ille,
haec uia, qua Querulus decipiendus erit.'

Dicta placent. Clinia sequitur dispendia, Gnatho
ad tectum Queruli rectius urget iter.
mentiri sua ficticium iubet ora stuporem
et quod sint stupido consona uerba facit.
nunc uocem, uelut audiri timeatque uelitque,
tollit: nunc humili temperat ore sonum.
'non una natura manu mortalia quaeque
emetitur', ait 'haec premit, illa beat.
excoluit natura hominem studiosior omni
dote bona, circum cetera pigra magis;
nec genus humanum studio pensauit eodem:
nos probitate, illis illa praeire dedit.
o regio felix hominum, cui gloria cessit!
regna tulit mundi Roma beata uiris.
quam bene Roma potens et quam male Graecia pauper!

378 postibus] Hostibus D 379 insistas] insistes CD 381 ne] nec C — *ante u.* 383 Liber III C Gnato Clinia Querolus *miniatis litteris* D *in* LD *maiuscula miniata* 385 ficticium] fictitium C stuporem] pudorem C 386 quod] quae CD sint] sunt C 387 uelut] uelud D 388 ore sonum] ora sono CD 390 ait] at *flor. poet. edit. ap. Du Méril* premit] deprimit *flor. poet.* 392 circum] circa CD humanum] humanus D 394 nos] His L Hos D *flor. poet. edit. ap. Du Meril* probitate] probitatem L praeire] perire CL, *fortasse recte. de prima syllaba correpta in* praeire *cf. ad uu.* 615 623 628 *al.* 397 Graecia] grecia LD (*sic semper*)

semideos homines Romulus orbis habet.
credibile est certe, Latios genus esse deorum
seque suis faciles exposuisse deos.
cur uel Aristotelem uel quid Platona ueremur?
non tulit huic similem Graecia tota uirum.
tam uentura canit quam quae fluxere uel instant,
scit melius Ioue quid Iuppiter ipse uelit.
nil improuisum pensabit Iuppiter ultra:
sic genus Aeneadum comprobat esse suum.'
haeserat ad postem Querulus iam semireclusum:
ne taceat Gnatho, denuo claudit eum.
et 'quid' ait 'sibi uult, quod ad omnes oris amari
Gnatho nescio quem comprobat esse probum?
uix ego crediderim, quod possit uel semel hostis
humani generis praeter inepta loqui.
quo pacto linguam sic castigauit et ora
quoslibet opprobriis docta notare nouis?
dedidicit praua, uel munere uictus amico,
uel quod ego melius, fuste minisque, putem.
prouocat ut laedant qui dat nebulonibus: urge,
laudabunt: acuunt dona, flagella domant.
quidquid commendat, ego commendabile credam:

399 credibile est certe] Certe credibile est CD 401 Aristotelem] aristotilem LD quid] cur L quod D 402 Graecia] grecia LD 404 Iuppiter] Iupiter CD pensabit] pensauit C Iuppiter] Iupiter CD 406 suum] deum C 407 semireclusum] semireclusam (4 *nouissimae litterae pallidiores sunt*) L semiclusum C 409 omnes] omnis C amari] auari CD 410 esse probum] esse probat D 411 crediderim] *i nouissima in ras.* L credideram CD possit] posset CD 414 quoslibet] Quolibet D opprobriis] obprobriis CD notare] probare L *u.* 415 *in* D *ita legitur*: Munere dececidit uel numine uictus amico 417 laedant] laedat CD dat] dant w 419 quidquid] Quicquid C Si quid D

laus plus quam uera quam dabit hostis erit.'
Gnathoni Clinia mensus dispendia cursu
tempestiuus adèst et iuuat arte dolum.
'dic', ait 'o Gnatho, quis sit quem laudibus effers,
et cur Romanum nomen ad astra feras?
egregiumne aliquid fecit Romana iuuentus,
quo sibi perpetuae munera laudis emat?'
'scilicet huic curae' respondit Gnatho 'uacamus!
longe alia in nostro pectore cura sedet.
nec mala me Romana iuuant, nec prospera laedunt,
nec moueor damnis, nec mihi laeta placent.
sunt secreta mihi; secretum dicere non est,
cuius participes contigit esse duos.'
instat ei Clinia: 'dic optime, dic precor' inquit
'et secreta refer, utile si quid habent.
teque tuo partire mihi, nec te mihi cura
alteret ista, duos quos negat unus amor.
nulla hominem fortuna beat, nisi consciat alter,
tectaque laetitia gaudia nulla parit.
si sit opus praecone, tubas et cornua uincam,
si tacito, saxa: quaeque iubebis ero.'
Gnatho refert: 'nemo sibimet satis ipse fidelis
saepius esse potest nec satis esse tenax.

420 laus plus quam uera quam] laudem plus uero qui L 421 Gnathoni] Gnathonis C Gnatoni L, *post* i *ras.* (*apparet* ꝺ' = *cl*[*inia*] ?) cursu] cursus D 422 tempestiuus] tempestinus L et iuuat] innuit L 425 egregiumne] Egregyum^{ne} L 430 nec mihi] non mihi C 431 secretum] secretaque CD 432 cuius] quorum CD duos] deos C 435 mihi nec] tibi nec CL 436 ista] iste C esse D duos] deos C 440 tacito] taceo CD quaeque] quodque D 441 refert] refer L nemo] nec homo CD ipse] esse CD fidelis] fidelem C

saepius obliti quidam dixere tacenda
  et nimius linguae prodidit usus eos.
effluet in medium male res commissa duobus;
  hic taceat, linguae prodigus alter erit.
si res ista parum uel si nihil utilis esset,
  forsitan ex facili iam tibi dicta foret.
utilitas iubet ut taceam, mihi contigit uni.
  commodus ipse mihi, nec meus hostis ero.
quod cadit in partes, minus et minus utile fiet,
  quo maior numerus, maior et usus erit.'
maior' ait Clinia 'surrepsit, amice, uoluptas,
  ut tuus inuenti sim comes ipse tui.'
dissimulat Gnatho tanquam discedere quaerens:
  hic rogat, ille negat; hic abit, ille tenet.
'aut dimittis' ait 'aut est Gnathonia uirtus
  per caput atque humeros experienda tibi.'
'nec minor est Cliniae uirtus' responderat ille;
  'expertus Cliniam uel semel horret eum.
sed quia nil facio precibus nec cogere nostrum est,
  ito, sed' — 'ha uincis me prece' Gnatho refert.
'mira animi natura mei: uis uiribus uti,
  nesciet audire; uis prece, mollis erit.

443 quidam] quaedam CD 444 nimius] nimium L prodidit] perdidit C *fortasse recte* 445 effluet] E *maiuscula miniata* L 446 hic] Sic D Ni C 447 si nihil utilis] *in ras.* L 448 iam] uel CD 450 ero] erit CD 451 cadit] cadet D 452 maior et usus] et minor usus CD 453 surrepsit] surrepit L subrepsit C surrexit D uoluptas] uoluntas CD 454 inuenti] in ueteri L 455 quaerens] uellet l querens L uellet C 459 Cliniae uirtus] uirtus Cliniae C 461 nec] nunc L 462 ito] Ite D *in C uersus sic scriptus est:* Non lite me uincis, sed prece, Gnatho refert 463 animi] mihi L 464 nesciet] Nesciat L

nec labor Herculeus nec Caesaris arma mouerent,
  quem uel continuo lenia uerba mouent.
ut tibi rem referam, qua me Fortuna beauit,
  ut secretum habeas, tutior esse uelim.'
Aetheris ille deum natumque Coronide iurat,
  quo nullum maius Graecia numen habet.
erigitur Querulus et postibus applicat aurem,
  totus in auditu, ne sibi uerba labent.
'seria res agitur' dixit 'garrire paratus
  cuncta uel inuito uix prece cessit ei.'
'ergo scies, Clinia', subiecit Gnatho 'quod omni
  numine prosperior sors mihi scire dedit.
huc assiste tamen, ne postibus haereat ille,
  qui rem furtiua subbibat aure sibi.'
haerentem Querulum praeuiderat. ille reductus
  destitit a poste uersus utrumque latus.
'scis', ait 'o Clinia, quam me mala pressit egestas,
  quam mala. quam longo tempore finis erit?
finis adest duris; etiam si uellet egere,
  non ultra Gnatho posset egere tuus.
obtulit huic urbi noua sors hominemue deumue
  nescio: paret homo corpore, mente deus.
hunc uoluit natura hominem tot tantaque scire,

465 arma] ira CD mouerent] moueret C 467 rem] iam C quod D qua] quae C 468 uelim] uolo CD 469 iurat] iura C 471 et postibus *pallidiore scriptura in* L 474 inuito] inuictus L inuicto D uix] uel D 477 assiste] absiste C ille] illis D 478 furtiua] fortunae L subbibat] subbibit C aure] arte L 479 praeuiderat] prouiderat C 480 utrumque] uterque C 481 mala] male C 482 mala] male CD 484 posset] possit D 487 hunc] Non CD

ut quantum caeli numina nosset homo.
iste Iouis mentem nouit Ioue certius ipso,
quid pensent superi, quid noua fata parent.
seruit ei caelum: fatorum strenuus ordo
exspectat, quorsum currere cogat iter.
castigat mentem Iouis: inuito Ioue multa
esse iubet. sic est Iuppiter ipse Ioui.
non magus, at magica magis ars est ipse putandus;
ars nihil huic, sed ut ars ipsa sit ipse facit.
non nouit tantum, quid cras respondeat, aut quid
uicinum praesens alliget hora sibi,
sed mage semota quid cogitet hora, quid annos
differat in mille Iuppiter, ipse tenet.
quid te plura moror? si saecula nostra deorum
essent, hunc Gnatho crederet esse deum.
carminis ignota uirtute potentis iniquam
expellet sortem qualibet ille domo,
nec damnata semel uolet aut erit ausa redire;
haec domus aeternae prosperitatis erit.
huc rapiebar ego, quia uis in munere magna est,
ut quouis empto munere uener eum.

u. 488 *in* CD *sic scriptus est:* Quid pensent caeli (celi D) numina nescit homo *uu.* 489 *sqq. in* C *hoc ordine leguntur*: 491 492 489 490 489 certius] tertius L certior C 490 pensent] possent L 491 caelum] caelo L strenuus] strennuus LC (u *nouissima in ras.* L) 492 quorsum] quod eum CD 494 Iuppiter] Iupiter *libri* 495 non] Nec CD ars est] est ars D 496 nihil] nichil LD *ut passim* ipse] iste C 497 non] Nec CD 498 alliget] alligat L 499 mage semota] semota magis C quid annos] quot annos L 500 differat] Deferat L Iuppiter] Iupiter CD 504 qualibet] quolibet D ille] illa L domo] dolo D 505 redire] reuerti C 506 haec] sed C et D erit] habet D 507 in munere] innumine LD 508 emptor *aut* emptum *Buecheler* uener] uenit CD

sumit amicitiae uirtus in munere uires,
  lingua fauet donis, munera pectus emunt.'
'scire uelim causamque uiae patriamque uirique
  nomen' ait Clinia. singula Gnatho refert:
'Paulus ei nomen, et Paulo consule natus
  nobile sublimat nobilitate genus.
Roma deum sedes, magnorum patria regum
  Roma sui iuris prodiga misit eum,
ut doceat Graecos et ut ultra debeat artes
  Graecia Romanis, debet ut illa duces.'
'exarsi' Clinia respondit 'amore uidendi.
  sors bona Romanum numen adesse dedit.
si tibi dulce meum quidquam fuit aut erit unquam,
  uel semel ut uideam, fac modo.' Gnatho refert:
'nulla erit inuidia. sed non uolo gaudia pandas
  aeui felicis, quae noua fata dabunt,
cum numerus comitum, cum nos gemmata uerendos
  purpura reddiderit reddideritque nouos.
risus erit noster, erit admiratio plebis;
  si cuius crescit copia, crescit honor.'
urget eant Clinia; Gnatho concessit; abibant.
  'fortuna' Querulus 'hac' ait 'utar ego!'

509 in munere] in nomine *edit. flor. poetar. apud Du Méril* et nomine (*pro* ex nomine?) w 510 pectus emunt] peius eunt CD 511 patriamque uirique] patrieque suique D 513 ei] ait D 515 Roma] Summa C 516 iuris] ciuis CD prodiga] prouida C 517 Graecos] grecos L *ut passim* grecas D 518 ut illa] et ultra C 519 exarsi] Exarsit L respondit] respondet D 521 quidquam] quicquam CD quidquid L 522 semel] saltem CD modo] rogo CD 523 inuidia] inuicio D non] nunc CD pandas] penses CD 525 gemmata] geminata L 527 admiratio] ammiratio CD 528 si] Cum *flor. poet.* cuius] cuiuis f crescit] crescet D *utroque loco* 529 eant] eum C

prosiliit, sed praecipitem tulit impetus illum
in caput, offendens uoluitur ille pede.
Gnatho suo Cliniae ridens ait 'omen habemus.
concidit in laqueos praeda petita meos.'
'Gnatho, mane,' clamat Querulus 'mi Gnatho, maneto!'
dissimulant. cursu concitus aequat eos,
et dextra Gnathone manu Cliniaque sinistra
arreptis orat multiplicatque preces:
'me quoque participem non inuideatis, amici,
cui mea calliditas omnia scire dedit.'
in Cliniam Gnatho uultu conuersus atroci:
'dixerat hoc, Clinia pessime, Gnatho tibi.
uae tibi, Gnatho miser, tibi cum Fortuna laborat,
prospera Gnathoni cum cupit esse, nequit.
impedio mea fata miser, mihi maximus hostis.
haec Cliniae peperit damna nociuus amor.'
'et quis' ait Clinia 'sibi talia furta timeret?
nec nocet adiunctus tertius iste comes.'
'non nocet? heu facinus! in te cadat ira deorum.
hac ratione potest quartus adesse comes.
scilicet in turbam latius miracula fundet

531 sed] et C 532 offendens] offenso CD 533 suo] sue D habemus] heremus L 536 dissimulant] Dissimulat C cursu] cursus D 537 manu] laeuaque manu D 540 cui] Quem (l Cui) L '*fort.* quae' *Buecheler* mea] me D 541 in Cliniam] inclinans D uultu] *extr.* u *in ras.* L 542 hoc] ó L 543 uae] Ve *libri ubique* laborat] faueret L *u.* 544 *deest in* L 544 prospera] Aspera D 545 maximus] proximus, *sscr.* maximus L 548 tertius] tercius L 549 non] Nec D 550 potest quartus adesse comes] comes quartus adesse potest C 551 scilicet latius D *spatio uacuo relicto*

credita uix pretio, uix mihi dicta prece.’
‘omne bonum’ Querulus ‘splendescet clarius’, inquit
‘illius quotiens fusior usus erit.’
‘effuge, dira lues! hic ad prouerbia natus:
uerborum ambages et maledicta nocent.’
Gnathonis Clinia sermonem mordet amarum:
‘cur’ ait ‘obiecto crimine laedis eum?
noster hic est. parce saltem mihi, si miser hic est.
mutauere breui tempore fata uiam.
contigit audire, quae diximus; accidat uti.
forsitan hic fiet utilis ipse comes.
in turbam nullus fastidiet esse magister:
quo plures aderunt, et sibi maior erit.’

Pacato Gnathone domum, quam Sardana seruat,
iunctus ei Querulus praeda comesque petit.
sublimi solio residentem Gnatho salutat:
‘Paule, tibi’ dixit ‘a Ioue manet honor.’
ignotam notae confundit Sardana linguam
uerbaque duplicia more bilinguis agit.

552 pretio] precio LD mihi dicta prece] prece dicta tibi L 553 splendescet] splendescit C 554 quotiens] quoties L *uu.* 555 556 *distichon uix sanum, fortasse uerba usque ad* lues *Gnathoni tribuenda sunt, usque ad* natus *poetae, u.* 556 *Querulo* 555 hic] hoc L 556 et *scripsi* ad *libri* nocent] uomit CD 559 miser hic] miser iste CD est] *omis.* D 561 contigit] Accidit CD audire] audiri C accidat uti] *nouissima 5 litt. in ras.* L 562 hic] his CD 563 in turbam] in turba C fastidiet] fastidiget L *ante u.* 565 Liber IIII C Gnato clinia Sardana querolus *miniatis litteris* D P *maiuscula miniata* L 565 Pacato] Placato C Paccato D quam] qua L Sardana] sardina L 566 petit] praeit C 568 manet] manat C 569 ignotam notae] ignote notam D 570 duplicia] dupplicia D agit] ager L (*cf. ad u.* 508) ait C

consedere procul pro maiestate uerendi
nominis, et tacitos numinis horror habet.
'o iuuenis, iam fata sequar tua' Sardana dixit
'sumque artis pro te prodigus ipse meae.
ut mage te noscas, Querulus tibi nomen, iniqua
fata, fames seruat atria, patre cares.
Pantolabus tibi seruus edax et inutile monstrum,
qui satur esuriat quique sit ipsa fames.
extremam primamque domum geminae Laris arae
impediunt; totus lar uacat ille Lari.
ergo larem totum sibi Lar possedit, ut esset
in lare prosperitas, si foret ara Laris.
Lar nihil est. finxere deos trepidantia corda:
aut miser aut felix lar erit arte mea.
qua domus interior uestit ueterem Laris aram,
terra tumet modice: pessimus ille locus.
pessimus ille locus, dis detestabilis ipsis,
quem timeat uel Lar, si sit et ipse deus.
iam genesim deprendo tuam, uel quod tibi signum
occiderit uel quod mundus in astra ferat.
Aegoceros oriens, qua linea solstitialis
praecipitat Cancrum, primus agebat iter.

572 nominis et] numinis et L horror] horret L 573 Sardana] sardina L *u.* 574 *in* CD *sic scriptus esi:* iamque artis patiar prodigus esse meae CD (mee D) 577 Pantolabus] Pantalobus L Pantalabus C 578 quique sit] qui sit et C ipsa] ipse D 585 qua domus interior uestit ueterem] qua nudea domus interior uestit D quem nudam uictura domos uestit C 586 tumet] timet L modice] modicum CD 587 dis] diis D 589 genesim] genesin C deprendo] deprehendo D quod] quid D 590 occiderit uel] accidit aut uel CD quod] quid D in astra] in alta D ferat] tulit CD 591 Aegoceros] Ego ceros D Ergo teres L Humidus Aegoceros C oriens] *omis.* C solstitialis] solsticialis L solstitiorum C solticiorum D

rex orientis erat, quem Faenona dicimus; illi
  scorpius in cauda Piron adesse dabat.
Faetontem Sol retrogradum uibratus agebat
  et Venus a Libra pulsa iacebat hebes.
sic tibi nascenti caelum responderat iram
  mortis et infelix Faenonis omen habes.
uim facio stellis castigoque carmine fata:
  omnia gaudebunt arte piata mea.'
diuino Querulus putat et stupet ore locutum
  et 'tibi sum melius quam mihi notus' ait.
'sed rogo te, Paule, Romanae gloria gentis,
  arte tua Querulus desinat esse miser.'
obsecrat hoc Clinia, Gnatho submissus adorat,
  insistit Querulus; 'uincitis' inquit eis.
'uincitis et faciam. sint haec miracula prima,
  quae Latius Graio Paulus in orbe gerat,
ut celebris Graium currat mea fama per orbem
  Paulus et in toto floreat orbe potens.
tu tamen, o Querule, quae nunc ego dictito uerba,
  tuque simul, Clinia, tu quoque, Gnatho, tene.
carmina uim perdunt, postquam confunditur ordo,
  imperium uerbis demit adempta fides.
ordine carmen eget et credulitate iuuatur.

593 rex] Fex L quem] quam L Faenona] Fenona LD 594 Piron] spiron CD *uide indicem s. u. genesis* 595 Faetontem] Fetontem L Phetontem D Sol retrogradum] Sol ...... gradu L 597 caelum] celum D 598 Faenonis] Fenonis L phenonis D habes] habet D 599 castigoque] castigo CD carmine] carmina L 600 gaudebunt] gaudebant D 601 diuino] De d[i]uo (*i. e.* de diuo) L putat et stupet] stupet et putat CD locutum] loquutum CD 605 submissus] summissus D 608 gerat] dabit CD 610 in *sscr.* L toto] uestro C nostro D orbe potens *pallidiore scriptura* L

haec uobis species relligionis erit:
pes praeeat dexter nec tangat limina; cuncta
iussus agat Querulus, nec nisi iussus agat.
Gnatho uerba meo prolapsa resuscitet ore
attollatque sonum carminis ille mei.
nesciat hoc age Pantolabus discatue tacere:
in dubiis rebus quilibet omen habet.'
surgitur et studii mentita uolumina uultum
ausa est Gnathonis tangere sacra manus —
tollere iussus erat — Querulusque praeambulus hostes
utiliter stultus ad sua tecta uocat.
ostia prima patent, prece limina Sardana munit
adiuratque deos signaque ponit humi.
stare pedes, cessare manus atque ora tacere
innuit ut iubeat Gnatho sibique iubet.
Deiciunt pariter uultus et corpore parent:
talis in hypocritae est relligione color.
limine munito ficta prece Sardana clamat,
ut dextrum laribus intulit ille pedem:
'omen in aede bonum!' dixit, quem Gnatho secutus
intonat exclamans 'omen in aede bonum!'

616 uobis] nobis C relligionis] religionis L credulitatis C 617 pes] Res D praeeat] pereat L dexter] dextra CD tangat limina cuncta] dextra limina tangat D 619 prolapsa] perlapsa L prolaxa D 621 age] uel CD Pantolabus] Pantolobus L Pantalabus C 622 quilibet] quodlibet D 623 studii] studiis L 624 *deest in* D 625 Querulusque] querolus D hostes] hostis L 627 ostia] Hostia LD Sardana] sardina L limina Sardana] Sardana limina C munit] num̃ L 629 ora] *deest in* D tacere] silere C 630 iubeat] iubeant C 631 deiciunt] Dejiciunt C pariter] *deest in* CD corpore] toto corpore CD 632 hypocritae] ypocritae L hypocrita C ypocrita D relligione] religione LD 635 in aede] inede L secutus] sequutus CD 636 omen in aede bonum] Sors inimica fuge C

'sors inimica fuge!' subiecit Sardana; Gnatho
excipit exclamans: 'sors inimica fuge!'
per dextrum laeuumque latus circumque supraque
Sardana uestigat, quo latet olla, locum.
deprendit spatium, terramque a cornibus arae
metatam late praecipit ille fodi,
ne uel relliquias tumulatae sortis iniquae
hoc in circuitu fossa reseruet humus.
impegit tumulo Gnathonis dextra ligonem
et tellus Cliniae uiribus icta gemit.
Sardana 'mi Querule, fac istis arca paretur;
si non est uacua, mox uacuetur' ait.
'immo omnes', inquit 'nisi forte, quod aere plenum est,
esse neges uacuum, plenaque cuncta putes.'
'nil uacuum est: leuitate sua circumfluus aer
non patitur uacuum uel semel esse locum.
ut nullum excludit, ita nulli excluditur aer:
permeat occultis corpora cuncta poris.
nescia densari facit hoc substantia, nullus
aeris ut teneat plusue minusue locus;
nec fugit apposito nec adempto corpore abundat.'

640 latet] iacet D locum] loco L 641 spatium] spacium *libri* 642 late] longe C 643 relliquias] reliquias LD tumulatae sortis] cumulate sortis L, *inde ab* a *littera pallidiore scriptura* tumulate sordis D 644 hoc in circuitu] non circumquaque CD 645 tumulo] terrae CD Gnathonis] Gnathonia C gnatonia D 646 icta] acta L 647 arca] archa LD (*sic semper*) *u.* 948 *in* CD *sic scriptus est*: 'Si uacua est si non euacuetur' ait 649 omnes inquit] inquit omnis C plenum] plena L 650 neges] negas L 651 nil] Ni L est *omis.* D *uu.* 652 653 *desunt in* D, *in* L *in contextu omissi in margine additi sunt* 653 nulli] nullo L 654 permeat] sed meat CD 655 hoc] haec CD substantia] substancia L 657 apposito] a puncto D abundat] habundat LD

res urgetur: adest arca, paratur opus.
ne uideat Querulus, auertitur. excipit ollam
arca. 'feratur' ait, ferreque iussus adest.
elatam Querulo Gnathonis eam Cliniaeque
excepere manus, Sardana monstrat iter.
monstratum rapiunt. Querulum quid restet agendum
instruit, et breuibus, ne mora laedat eum:
'a modo, mi Querule, feci te uiuere tutum;
non erit ulterius uita tuenda tibi.
at tamen admoneo: claude ostia, claude fenestras,
obice liminibus robora, pone seras;
si qua patet Phoebi radiis, hanc obstrue rimam,
ut uel Phoebo aditum rimula clausa neget.
armatus defende lares. si quid strepit usquam,
huc ades et clames: "sors inimica fuge"
— importuna lares uolet illa reuisere notos —
atque ita continuis quinque diebus agas.'

Iussa facit Querulus. Gnathonem Sardana cursu
assequitur; relegit deuia, turbat iter.

660 feratur ait ferreque iussus adest] seratur eam ferre iubetur adest CD 661 elatam] elatam a CD 663 quid] quod L restet] restat L esset D agendum] agendis L 664 breuibus] breuius L u. 665 *deest in D spatio uacuo relicto, in C ita scriptus est:* Sic ait: 'hinc procul omne malum est et sors mala fugit' 666 uita tuenda] illa timenda C ista timenda D 667 at] Et LD admoneo] ammoneo D ostia] hostia LD 668 obice] objice C seras] seram C 669 Phoebi] phebo, o *in ras.* L 670 Phoebo] phebo, o *in ras.* L 671 lares] larem C quid] quis D strepit] strepat L strepet D usquam] unquam L 674 atque ita] atque L Ergo haec C — *ante u.* 675 Sardana Gnato Clinia D I *maiuscula miniata* LD 675 Sardana] sardina L clinia D 676 assequitur relegit] Assequar. releget L (*fortasse rectius, mutata distinctione*)

ut satis esse procul, tutasque sat esse latebras
promisere loca, terra recepit onus.
olla tenetur eis titulumque tenentibus offert,
quo mentita fuit funeris esse locum.
mirantur titulumque uident, titulumque uidentes
nil uidisse putant, quos stupor omnis habet.
scripta leguntur eis, dubitantque an scripta legantur,
et qui scripta legit, addubitat ne legat.
uera timere timent nimiumque parumque fideles,
et sibi spes prohibet, scripta timere iubent.
quilibet in quouis fixis obtutibus haerent
et uelut elingues attonitique sedent.
'Sardana, quid sibi uult titulus? quid nominat ossa?'
Gnatho ait. 'ignoro' Sardana dixit ei.
'tu, cui nota magis est littera Graeca, uideto
et tituli uerba perlege.' Gnatho legit:
'ossa Tripericii Triperi patris haec tenet urna
condita cum nituit Caesare Roma suo.'
'rem teneo meminique senem mihi' Sardana dixit
'hoc dixisse semel "haec patris urna mei."'
sed quia sola solet secreta recludere mortis

677 tutasque sat] tutas satis CD 678 loca] sedent C recepit] recipit L 680 quo] Que D 682 nil] Non C Nec D putant] stupent D quos] quod CD 683 dubitantque] dubitant L 684 addubitat ne legat] quae legat an dubitant D 686 et] sunt CD 687 quouis] quemuis CD haerent] haeret C 689 quid nominat] qui nominat CD 690 Gnatho] Ergo C ignoro] ignora D 691 littera] litera L 692 legit] refert L 693 O *maiuscula uiridis* D Tripericii Triperi] Triperitii Triperi D Tipericii Tiperi C urna] olla C 695 mihi] m *i. e.* mihi LD mi C, *unde inepta distinctione posita totum locum turbauerunt Commelinus et Osann*

hora, senis fuerant credita uerba mihi:
siue dolo seu nos aliam deprendimus urnam
siue ut desiperet fecerat ille dolor.
uae mihi, sperabam felicia tempora, cogor
ponere spem; capta est fraus mea fraude senis.
uae mihi, qui spatia terrarum immensa cucurri,
ut labor iste daret ossa legenda mihi.
spes minuebat iter, et spe fallente laborem
quidquid dulce fuit, spe pereunte grauat.'
Gnatho patere iubet quidquid celatur in olla,
ne uel in errorem turpius error eat.
ictibus oppositis uenientem Sardana dextram
sustinet et 'quid' ait 'ossa uidere iuuat?
funeris esse fidem dant argumenta sepulcri:
non impune suo moueris ossa loco.
manibus ira sua est: quas laesae sustinet urnae
poenas, has sceleris exigit umbra memor.
utilius reputo, quoniam sperare uetamur,
ut subeant sterili gaudia longa spei.
confinxi Querulo fortunam uelle redire;
ne pateant aditus, credulus arma tenet.
qua lateri paries extremus deficit et se
non bene contingit, incidat olla lari.

698 fuerant] seruant L credita] condita L 699 deprendimus] deprehendimus D urnam] ollam C ossam D 700 desiperet] deciperet D 701 uae] Ve *libri* (*et sic semper*) 703 qui] quot D spatia] spacia LD 706 quidquid] quicquid CD grauat] perit D 707 quidquid] quicquid CD celatur] latebat D 708 turpius] temporis C 709 oppositis] appositis, *nescio an* o *ex* a *corr.* L oppositus D, *fortasse recte* 711 sepulcri] sepulchri LC 713 quas] qua C 717 confinxi] Confixi D 720 contingit] contingat L *dein fortasse ras., lacuna parua, potest fuisse* ant, *cogites de* continuat *phrasi Liuiana et Ouidiana*

accurret Querulus irasceturque sepulcro:
hunc tritaui tumulum iam sciat ipse nepos.
omnia perdidimus, sed et hic simul; omnia nil est.
spem probat euentus: damna fuere spei.
lucra ferent curas post perdita lucra, secundam
uim delectandi post lucra ludus habet.
error in errorem crescit, fraus fallitur ipsa,
it dolus in fraudem, fit dolus ipse dolus.'
'fiat' ait Clinia, Gnatho fauet. ergo reditur
missaque per rimam fecerat urna sonum.
fracta minutatim monstratum transtulit aurum
in ius alterius, quod fuit ante suum.
Pantolabus, cuius curae custodia partis
cesserat illius, 'huc ades' inquit 'here!
en redit arca tibi: cum multo faenoris usu
aurum quod tulerant rettulit olla tibi.
plus fecere dei quam quod sperare liceret,
fraus fallit fures; stant tua tuta tibi.'
aurum colligitur, numerantur mille talenta.
auri tutelam fortior arca capit.
mens ad laetitiam Queruli non sufficit: infra
materiem remanent gaudia saepe suam.

721 accurret] Occurret D sepulcro] sepulchro LC 722 hunc] atque CD tritaui] in aui D mnaui C iam sciat] nesciet CD ipse] esse CD 723 hic simul] haec tamen CD 725 lucra ferent curas] ludicra curremus C ludicra curemus D 730 urna] olla C 731 monstratum] furatum C 732 suum] solum L — *ante u.* 733 Pantolabus Gnato Sardana querolus D 733 P *littera miniata* D Pantolabus] Pantalobus L Pantalabum C 734 here] ei C 735 en redit arca tibi] Ecce reportata CD faenoris] fenoris LD foenoris C 736 rettulit] retulit LD 737 dei] dii D 740 fortior] firmior CD 741 laetitiam] laeticiam LD *et sic infra* 742 materiem] Materiam D

ergo minus Querulus quam sint sua gaudia gaudet
atque in laetitia deficit ipse sua.
Sardana qua recipit oblatum rimula uisum,
dum sibi uestigat ludicra, damna uidet.
'hei mihi' clamauit 'aurum latitabat in olla;
hei mihi. decepta est fraus mea fraude mea.
heu mendax titulus! cur ossa uocauerat aurum?
hypocritae tituli fraus mea fraude perit.
uae mihi, uae Cliniae, uae uae tibi, uae tibi Gnatho!
iam sine uae nobis non erit ulla dies.'
confusi stupuere, dolent: dolor exit in iram:
fraudis in auctorem debita poena redit.
hostes inuenit sibi quos sperabat amicos
Sardana. non una fugit uterque uia.
laetus adest Querulus: 'quis' ait 'delitigat illic
nec mea turbare limina lite timet?'
fecerat audacem fortuna, superbia creuit.
sic animi fiunt ad noua fata noui.
Sardana spectatur, cultusque ambage remota
exutoque mago Sardana uerus erat.
'exhibitae fidei poenas luo', Sardana dixit
'aurum consilio reddidit olla meo.'
se facit ignarum Querulus quasi nescius auri:
'quas canis ambages? quid mihi garris?' ait.

745 oblatum] ablatum D uisum] uisu C 747 clamauit] clamabat C *uu.* 749 750 *desunt in L* 750 hypocritae] Ypocrite D 753 exit in] eximit L 755 sperabat] sperauit C 756 Sardana ñ una] *in ras. quae induxi* L 757 delitigat] dilitigat L illic] istic D istis C 760 fiunt] fuerant L 762 exutoque mago] Exuitur ymago C erat] erit C 763 exhibitae] Exibite D 765 ignarum] ignotum L quasi] *omis.* L nescius auri] nesciat aurum C

'Sardana tune meus, tune ille es Sardana, patri
et comes et seruus auxiliumque uiae?'
'ille ego sum,' dixit 'tibi missus, ut olla reposta
redderet indicio mille talenta meo.
monstraui primo, quoniam te fallere possem;
sic in commissa est fraude probata fides.'
Arbiter inciderat liti. cui Sardana 'nostris,
o bone, iudiciis, Arbiter,' inquit 'ades,
arbitrioque tuo dissensio nostra quiescat;
et ius et fidei praemia pende meae.
uictus morte senex "habeo, mi Sardana", dixit
"ollae commissa mille talenta domi.
tu tibi sume decem; Queruli sint cetera. tempta
si uel adhuc didicit prouidus esse sibi.
furto deme prius furataque redde talenta:
passus damna semel cautior esse solet.
cognita sollerter, temere nescita cauemus:
qualiter euadas, scita pericla docent."
furor, reddo, fidem conseruo senique tibique,
sed furando seni, restituendo tibi.
fraus fuit absque dolo, furtumque fidele, probata est
in furto pietas, in pietate fides.'

767 ille es] es ille D Sardana patri] sardina patri L 768 uiae] ue L 769 reposta] reporta D 771 possem] possum L 772 in commissa] in commisso D in promissa C *ante u.* 773 Arbiter Sardana querolus D 773 A *maiuscula miniata* L, *maiuscula uiridis* D ARBITER *quasi initium libri noui* C Sardana] sardina L 774 o bone] Obtime L 775 dissensio] defensio CD 776 praemia] praeima C pende] prende L pande D meae] mei C 779 Queruli] querolo D 781 deme] sume D 783 sollerter] sollert L 785 reddo] redde L *uu.* 786 787 *erasi sunt in* L *fortasse suppositicii*, absque *non inuenitur apud Vitalem nisi hoc loco* 787 fraus] rat Fraus (*sic*) D furtumque] fit utrumque C

Arbiter 'emeruit Querulum tua, Sardana,' dixit
'fraus sine fraude; fides est tua digna fide.'
uera putat Querulus, in partem Sardana uenit,
fert lucra ficta fides, lis cadit. acta placent.

792 ficta] facta L

Explicit Comedia Triperi Incipit Comedia Vlfi L Vitalis gallici blesensis allularia explicit D Vitalis Gallici Blesensis Aularia explicit feliciter C

METRICA GRAMMATICA MEMORABILIA

Veterum poetarum locos magis minusue mutatos in opusculum suum recepit Vitalis non paucos maxime Ouidianos. exempla adscribam aliquot.

Aulul. u. 20 *Ouid. fast. III 474* eadem crimina Bacchus habet
u. 23 *Ouid. metam. VIII 230* quae nomen traxit ab illa
u. 63 *Ouid. metam. XV 819* nominis heres
u. 71 *Ouid. amor. I 310* ausus in arcanas
u. 122 *Ouid. metam. VIII 832* cibus omnis in illo — causa cibi est
u. 225 *Lucan. V 281* coniugis illabi lacrimis
u. 273 *Ouid. metam. III 271* nec sum Saturnia, si non
u. 289 *Ouid. fast. I 373* ille sua faciem transformis adulterat arte
u. 368 *Ouid. metam. XIII 15* quae sine teste gerit
u. 568 *Horat. carm. I 28 27* multaque merces, unde potest, tibi defluat aequo ab Ioue
u. 651 *Ouid. metam. I 30* et pressa est. grauitate sui circumfluus umor

---

BONNAE TYPIS CAROLI GEORGI UNIV. TYPOGR.

